



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

G
33



9333



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 6 Sept. 1892.



DE SCOLIORUM POESI.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM VINDOBONENSIVM ORDINE RITE
OBTINENDOS

SCRIPSIT

August Godofred

AUGUSTUS GODOFREDUS ENGELBRECHT

VINDOBONENSIS.

VINDOBONAE

SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII.

MDCCCLXXXII.

9333



Constantino J. ...

EMANUELI HOFFMANNO
GUILELMO HARTELIO
CAROLO SCHENKELIO

D. D. D.

V I T A.

Natus sum Augustus Godofredus Engelbrecht pridie Idus Martias a. h. s. LXI. Vindobonae patre Augusto, architecto Vindobonensi, matre Josepha e gente Dressleriana, quos vivos pia mente colo. fidem profiteor catholicam. ad nonum usque aetatis annum litterarum rudimentis imbutus in urbis patriae ludo, a parentibus carissimis missus sum in monasterii Seitenstadiensis gymnasium, quod a patribus reverendis St. Benedicti collegio ascriptis egregie administratur, ibique per septem annos continuos (inde ab a. LXX usque ad LXXVII) litterarum me dedi studiis, donec gravi correptus morbo coactus sum, ut gymnasio publico derelicto inter privatos parietes ad maturitatis testimonium adipiscendum ipse me praepararem. quod adeptus autumnno anni LXXVIII in academia Vindobonensi antiquarum litterarum studiis operam daturus cum nomen apud illustrissimi philosophorum ordinis decanum, Carolum Schenkelium, fausto omine professus essem, a rectore magnifico v. d. Henrico Siegl in album academici relatus sum. in hac litterarum sede scholis interfui, quas habuerunt viri clarissimi: G. Hartel, E. Hoffmann, C. Schenkl, Th. Gomperz, O. Hirschfeld, M. Gitlbauer, R. Zimmermann, Th. Vogt. ac primo iam semestri spatio cum participi esse mihi liceret exercitationum philologarum, eximio magistrorum maxime dilectorum Hartelii, Hoffmanni, Schenkeli favore et benevolentia factum est, ut primo statim studiorum academicorum anno ascriberer seminario philologico sodalis ordinarius, qua in socie-

tate per tres annos versatus sum bibliothecae cura simul per unum annum mihi mandata.

Iam cum seminarii exercitationibus interesset, animus miro quodam ardore inclinabat ad eam rem accuratius tractandam, de qua hoc opusculo agitur, neque magistri, qui seminario praesunt, passi sunt, ut postea ille ardor langueretur. quibus viris, qui studia mea consiliis et exemplo sublevarunt, gratias ago quam maximas semperque agam, et si quid in hoc opusculo, quod illis placeat, dulcissimum et plenissimum strenui laboris fructum percepisse mihi videbor.

De scolorum seu carminum convivalium, quæ erant apud Graecos, origine ac natura si hoc libello disputationem instituero, nemo puto mirabitur, qui quo loco ea sit quaestio hoc tempore accuratius intellexerit. tantum enim abest, ut ea res iam confecta sit atque explicata, ut post ea, quæ ante hos centum fere annos Ilgen disputavit, nihil fere a viris doctis collatum sit ad hanc quaestionem expediendam. Ilgenii autem libellum, quamquam is laudabile sane in ea re exploranda posuit studium, quæ est litterarum antiquarum hac aetate condicio, non omni ex parte nobis posse satisfacere qui vel aliquot eius paginas obiter perlustraverit facile intellet. quæ cum ita sint, haud mihi verendum esse puto, ne rem actam agere videar, si post Ilgenium denuo eam rem in disceptationem vocaverim: quamquam bene sentio, quam arduum sit opus aleæque plenum in ea quaestione explicanda versari, ubi saepius quibus innitaris certa desint fundamenta ac, cum non ex largo fonte, sed ex tenui aquæ vena haurire nobis liceat, interdum ad coniecturas confugiendum sit.

Hanc igitur quaestionem instituturus ante omnia id mihi proposui, ut firmum toti quaestioni quasi fundamentum iacerem veterum testimoniis in medium prolatis atque accurate examinatis, ne coniecturis vanis neque veterum auctoritate neque indole sermonis et poesis Graecæ comprobatis deceptus a recta disputandi via aberrarem.

Totam autem quaestionem ita sum tractaturus, ut scribendi principia capiam a disputatione de veteribus scriptoribus, qui de scolorum poesi egerunt, ac deinde virorum doctorum, qui nostrâ

aetate de eadem re scripserunt, recenseam commentationes. quibus quasi praefationis loco praemissis primum de scolorum origine dicam, deinde, unde ea nomen traxerint, exponam; tum quid de scolorum vi ac natura sit statuendum, quod discrimen intercedat inter haec ceteraque carmina convivalia, quando quibusque instrumentis musicis accinentibus scolia cantata sint, describam. quibus rebus absolutis iam pauca addam de poetis, qui scoliis compositis inclaruerunt; denique exploremus necesse est, quo tempore scolorum poësis floruerit, quandoque eorum usus imminutus sit paulatimque prorsus desierit.

Scolorum poësis originem ac naturam iam ipsis grammaticis veteribus, qui quidem Caesaris Octaviani Augusti temporibus vixerunt, non satis perspectas fuisse ex commentariis, quos de ea re conscripserunt, intellegitur. ad nostram quidem memoriam paucorum eius modi commentariorum pervenit notitia, quorum auctores fuerunt Tyrannio et Didymus Chalcenterus, de quibus, quidquid expiscari mihi contigit, iam proponam.

Ac Tyrannionem quidem peculiarem libellum de scoliis confecisse docemur a Suida s. v. *σκολίων· ὑπόμνημα ἔγραψε Τυραννίων περὶ τοῦ σκολιοῦ μέτρου, ὃ προετάθη αὐτῷ ὑπὸ Γαίλου Καίσαρος*, quae verba repetita legimus ex interpolatione Marci Musuri in scholiis ad Aristophanis Ran. v. 1302. quamquam mirum videri potest, quod grammaticus ille *περὶ τοῦ σκολιοῦ μέτρου*, at non *περὶ τῶν σκολιῶν μελῶν* scripsisse a Suida perhibetur. quam ob rem, si Suidae verba premes, statuendum tibi erit Tyrannionem libro illo non tam de scolorum poësi in universum disputavisse, quam in diversa singulorum scolorum metra inquisivisse, qua in re explicanda scolia, quae circumferebantur, diligenter colligeret deque diversissimis metris — nam nullo certo metro astricta fuisse haec carmina postea demonstrabimus — ageret necesse erat. atque eius modi disquisitio quam maxime erat grammatici, qualis erat Tyrannio; parum autem

veri simile esse videtur illo libro accuratius etiam de scolorum origine, nomine, vi ac natura disputatum fuisse, quippe cum tales quaestiones graviores ac subtiliores sint, quam quae isti homini tribui possint. quae cum ita sint, non esse videtur, cur Suidae diffidamus, qui disertis verbis de scolio metro Tyrannionem scripsisse tradit, neve quis contenderit *μέτρον* Suidae loco idem valere ac *μέλη*.

Quis autem fuerit Tyrannio ille ex eodem Suida comperimus, qui duos grammaticos¹⁾ aetate non ita multum inter se distantes commemorat s. v. *Τυραννίων* . . . *Ἀμισηνός. ἐχρημάτιξε δὲ Κορύμβου, γερονῶς ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου, καὶ πρότερον κτέ.* ac de altero Tyrannione haec refert: *Τυραννίων, ὁ νεώτερος, Φοῖνιξ, πατὴρ Ἀρτεμιδώρου, μαθητὴς Τυραννιάνου τοῦ πρεσβυτέρου· διδὸν καὶ ὀνομάσθη Τυραννίων, πρότερον καλούμενος Διοκλῆς. αἰχμάλωτος δὲ γενόμενος καὶ αὐτὸς ἐπὶ τοῦ πολέμου Ἀντωνίου καὶ Καίσαρος ὑπὸ τίνος Δύμαντος ὠνήθη, τοῦ Καίσαρος ὄντος ἀπελευθέρου, εἶτα ἐδωρήθη Τερεντία τῇ τοῦ Κικέρωνος γυναικί, ἐλευθερωθεὶς δὲ ὑπ' αὐτῆς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ κτέ.* iam vero Hermannus Planer, qui de Tyrannione grammatico peculiarem scripsit commentationem programmati gymnas. Joachims-thal. quod est Berolini (a. 1852) insertam²⁾, p. 8 libellum illum *περὶ τοῦ σχολιοῦ μέτρον* Tyrannioni maiori Amiseno tribuit, quem Caio Caesari, a quo hunc libellum conficere iussus est, aequalem fuisse dicit. atque idem iam statuerat Kuester in adnotatione ad Suidae locum (v. *Τυραννίων*). contra Bernhardy Suidae verba ad Tyrannionem minorem spectare putat. quae quaestio difficilis satis est diiudicatu, quamquam nostra hoc loco haud multum interest, utrum hunc an illum eius libelli auctorem habeamus. perversissime autem statuit Benseler in lexico s. v. *Τυραννίων*, qui Cai imperatoris temporibus floruisse Tyrannionem illum, qui de scolorum metro scripserit, existimet.

¹⁾ De Tyrannione Messenio philosopho, quem tertio loco affert Suidas, nihil omnino notum est.

²⁾ Cf. La Roche, Die Homerische Textkritik im Alterthume, pag. 108.

Alteram de scoliis commentationem scripsit Didymus Chalcenterus, celeberrimus ille grammaticus, qui Augusti floruit temporibus; cf. *Etymolog. Magn. s. v. σκολιά· τὰ συμποτικά ἄσματα*. *Δίδυμός φησι διαφόρους ἔτυμολογίας ἐν (τῷ) τρίτῳ τῶν συμποσιακῶν*. M. Schmidt in libro, cui inscripsit 'Didymi Chalcenteri grammatici Alexandrini fragmenta' Lipsiae 1854 (cf. M. Schmidt, commentationis de Didymo Chalcentero IV. part. II. de Didymi symposiacis. Schweidnitz 1853) p. 380 a Didymo Chalcentero aliena esse putat *συμποσιακά* et suspicatur auctorem *συμποσιακῶν* esse Didymum, Heraclidis filium, grammaticum pariter atque musicum nobilissimum, Neronis aequalem, Didymum autem Chalcenterum de scolorum veriloquio egisse in libro *περὶ ποιητῶν* vel *περὶ λυρικῶν ποιητῶν* composito, qui passim commemoratur in *Etym. Magn. s. v. προσφθιαί, ὕμνος*. quam ob rem Etymologici locum sic emendandum esse censet p. 371: *Δίδυμός φησι διαφόρους ἔτυμολογίας ἐν τῷ περὶ ποιητῶν καὶ Ἡρωδιανὸς ἐν γ συμποσιακῶν*. Herodianum enim grammaticum Puteolis *συμπόσιον* scripsisse tradit Stephanus Byzantius s. v. *Δικαίῳρχεα*. sed admodum dubia est ea res ac certe rectius agemus, si Didymum eandem rem et in symposiacis et in libro *περὶ ποιητῶν* — quamquam dubitari potest, num in libro de poetis lyricis conscripto de scolorum veriloquio fusius egerit — tractavisse statuemus, quam si symposiaca a Didymo Chalcentero aliena et locum Etymologici corruptum esse sine ulla causa existimabimus. ceterum Schmidt sibi ipse constitisse non videtur, quippe qui p. 371 hanc proferat sententiam, p. 382 autem nimio coniectandi studio eo usque feratur, ut vel librum *περὶ ποιητῶν* Chalcentero abiudicandum esse contendat.

Artemonem etiam de scolorum usu librum conscripsisse censet de la Nauze (*Mémoires de l'académie des Inscriptions* vol. IX p. 324 et 328), Athenaei loco (XV 694 A) ad eam rem confirmandam usus. sed nullo pacto ex his Athenaei verbis: *ὥς φησιν Ἀρτέμων ὁ Κασανδρεὺς ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ χρησεως* id, quod mente sibi finxit de la Nauze, licet colligere: immo multo veri similis est Artemonem eam rem in libro *περὶ*

βιβλίων χρήσεως leviter tantummodo et quasi ἐν παρόργῳ tetigisse.

Dura sane utimur condicione, quod nec Tyrannionis nec Didymi commentarii ad nostram pervenerunt memoriam. sed forte fortuna accidit, quod Athenæus Deipnosophistarum libro ultimo³⁾ anthologiam eius modi carminum inseruit, scolia dico sex et viginti, qui numerus, quamvis sit satis exiguus, si comparamus ea, quae Eustathius tradidit de scolorum ingenti copia (1574, 14: *μυρία δὲ τοιαῦτα (σκολιά) περιφέρονται*), tamen nobis maximi est pretii, cum ad huius poesis melicae generis vim ac naturam cognoscendam hoc ex fonte aut plurima hauriamus oporteat aut fere omnia.

Hic illic etiam apud alios scriptores veteres, grammaticos, scholiastas, lexicographos scolorum mentio fit atque in primis de nominis veriloquio exstant sententiae veterum, quorum nomina, cum de scolorum nominis significatione agemus, recensebimus atque auctoritatem et fidem accuratius examinabimus.

Ab illo igitur Athenaei loco profecti recentiore aetate iam dudum viri docti in scolorum poesim inquisiverunt ita, ut praecipue artem criticam in scoliis ab Athenaeo servatis exercerent ac metra in singulis restituere conarentur carminibus. inter quos primus nominandus est Paulus Leopardus, qui in 'Emendationum libr. XII. cap. 8' (insunt in Gruteri Thesauri Critici III. p. 244 sqq.) 'scolorum et carminum convivalium quorundam emendationem' dedit. post eum de eodem argumento scripserunt Hadrianus Junius in 'Animadversionum libro III. cap. 7' (cf. Grut. Thes. Crit. IV. p. 387 sqq.), Schottus et Nunnesius ad Procli chrestomath. p. 10, de la Nauze, Mémoires sur les chansons de l'ancienne Grèce, cf. Mémoires de l'académie des Inscript. et Belles-Lettres vol. IX. (a. 1736) p. 320—347, quam disputationem ab Eberto in linguam Germanicam conversam invenies adiectam operibus Friderici de Hagedorn (Hamb. 1764 vol. III. et ed. a. 1773 vol. V. p. 1—83), Burette 'Ad Plutarchi

³⁾ cf. Athen. XV 694 C—696 B.

librum de musica c. 28', cf. Mem. de l'acad. vol. XV. p. 311 sqq., H. H. Cludius 'Etwas von den Skolien der Griechen', cf. Bibliothek der alten Literatur und Kunst, vol. I. Gotting. 1786 p. 54—62 et vol. III. ib. 1788 p. 32—57, de Santen 'Observationes de scoliis Graecorum', in eiusdem bibliothecae vol. V. 1789 inedit. p. 20—25. denique Burgess (cf. Classical Journal vol. XXIV. n. 48 p. 367 sqq.) pauca quaedam scolia critice tractavit.

Quae dissertationes omnes exigui sunt pretii longeque superantur eo libro, quem scripsit Carol. Dav. Ilgen: 'ΣΚΟΛΙΑ hoc est carmina convivalia Graecorum metris suis restituta et animadversionibus illustrata praemissa disquisitione de hoc genere carminis' Jenae 1798. singulari enim ille instructus doctrina primus quidquid scitu dignum esse videbatur enucleare studuit, nec profecto ausus essem post eum eandem rem iterum tractare, nisi complura atque ea gravissima ab Ilgenio falso esse explicata atque inde ab illo in omnibus circumferri historiae litterarum Graecarum compendiis intellexissem. qua re factum est, ut ea, quae statuerat Ilgen, tantam assequerentur auctoritatem, ut, nisi funditus quaestionem redintegraveris, obloquendo vix cuiquam feceris fidem.

Eodem fere tempore, quo Ilgen, Frid. Jacobs in Antholog. Graec. vol. VI (Animadvers. vol. I. p. I.) p. 291 sqq. et vol. XII (Animadvers. vol. III. p. II) p. 401 sqq., et paulo post Joannes Schweighaeuser in Animadvers. ad Athenaei Deipnosophistas vol. VIII. p. 241—287 scolia ab Athenaeo servata recensuerunt adnotationibusque suis illustraverunt. deinde de scoliis et carminibus popularibus egerunt: Carolus Zell, 'Ueber die Volkslieder der Griechen' in libro cui inscripsit 'Ferienschriften' Friburg. 1826 p. I p. 53 sqq., Herm. Koester 'De cantilenis popularibus veterum Graecorum', dissert. inaug. Berol. 1831 p. 70 sqq., quo cum libello conferas eiusdem scriptoris 'Commentationis de scoliis fascicul. I. (un.)' progr. Flensburg. 1846, quo in primis de scolorum nomine explicando agitur, Andreas Hallström 'De scoliis Graecorum comment. academ.' Londini Gothorum. 1827, qui Ilgenii librum impudenter expilavit, Jan. Guil. Grim 'Prolusio scholastica

de scoliis Graecorum' Dordraci 1839, qui complura scolia Latinis versibus reddidit adnotationesque, quae maximam partem interpretationi inserviunt, adiecit. — De carminibus convivalibus in universum egit Aug. Ferd. Ribbeck 'Ueber die Tafelgesänge der Griechen' in hoc libro 'Mittheilungen aus Aug. Ferd. R.'s — schriftlichem Nachlasse, herausgeg. von Friedr. Ribbeck und Friedr. Zelle' Berol. 1848 p. 160—170⁴). iam, ut temporum sequar ordinem, nomino Hartungium, qui de scoliis egit in operis, cui inscripsit 'Die griechischen Lyriker' vol. IV. Lips. 1856 p. 226—240, cum iam anno 1846 in 'Diario litterarum antiquarum' p. 564 sq. suas de hoc carminum genere sententias breviter explicasset, atque ultimo loco eum, qui novissime egit de eadem re, Fr. Runckium, libello 'De scolorum origine et usu', dissertat. Rostoch., in lucem edito Berolini 1876, quamquam vereor, ut ulla ex hac dissertatiuncula, quae XVI continetur paginis, redundet utilitas (cf. Hiller in Bursiani Annal. vol. XIX. p. 134 sq.).

Iam si, ne quid omisisse videamur, addiderimus ea, quae Baehr in Paulyi Encyclopaediae vol. VI. p. 871 sq., Bode 'Geschichte der hellen. Dichtkunst' vol. II. p. 2. p. 455—467, Ulrici 'Geschichte der hellen. Dichtkunst' vol. II. p. 376—386 de scoliis exposuerunt, et quae in Bernhardyi, Muelleri, Murei aliorumque compendiis historiae litterarum Graecarum leguntur, vix nobis verendum erit, ne silentio praetermiserimus, quod vel alicuius momenti sit in hac quaestione explicanda.}

Scoliorum, quae nobis servata sunt, textum praebent praeter Ilgenium, Jacobsium, Grimium ii, qui poetas lyricos edendos curaverunt, Brunck, Schneidewin, Bergk, Hartung.

⁴) Scriptoris nomen librique genuinum titulum Otto Ribbeck, ill. prof. Lips., litteris datis mecum communicavit simulque addidit ex eo libro utpote ad popularem vulgaremque sensum accommodato nihil ad hanc quaestionem expediendam peti posse. Nicolai Hist. litt. Graec. I 112, qui huius libelli mentionem fecit, et nomen et titulum falso attulit.

I. De scolorum origine.

In libro illo Plutarchi *περὶ μουσικῆς*, sane pretiosissimo, locus reperitur, quo de rebus, quas veteres poetae melici inde a Terpandro novaverint in arte musica, disputatur. ac de Terpandro ipso ut melicorum poetarum principe haec traduntur c. 28: *εἶποι τις ὃ τᾶν, οὐδὲν οὖν ὑπὸ τῶν ἀρχαίων προσεξεύρηται καὶ κεκαινοτόμηται; φημὶ καὶ αὐτὸς ὅτι προσεξεύρηται, ἀλλὰ μετὰ τοῦ σεμνοῦ καὶ πρόποντος. οἱ γὰρ ἱστορήσαντες τὰ τοιαῦτα Τερπάνδρῳ μὲν τὴν τε δῶριον νήτιν προσετίθεισαν οὐ χρησαμένων αὐτῇ τῶν ἔμπροσθεν κατὰ τὸ μέλος. καὶ τὸν μιζολύδιον δὲ τόνον ὄλον προσεξευρηθῆναι λέγεται, καὶ τὸν τῆς ὀρθίου μελωδίας τρόπον τὸν κατὰ τοὺς ὀρθίους, πρὸς (τε) τῷ ὀρθίῳ (καὶ τὸν) σημαντὸν τροχαῖον. ἔτι δέ, καθάπερ Πίνδαρός φησι, καὶ τῶν σκολιῶν μελῶν Τέρπανδρος εὐρετὴς ἦν.* iam si novissima verba respexeris, videbis, quid omnino compertum habeamus de scolorum origine, cum alius locus praesto non sit, quo accuratius de hac re exponatur.

Parva igitur ut ita dicam stipe contenti inquiramus statim necesse est, quonam loco quoque in carmine Pindarus illud de Terpandro rettulerit. ac Pindarum ipsum inter alia carminum genera etiam scolorum coluisse poesim notissimum est. cuius rei testimonium luculentissimum praeter Suidam, qui s. v. *Πίνδαρος* inter alia poesis melicae genera a Pindaro exulta etiam scolia affert, Pindari ipsius sunt versus, qui apud Athenaeum XIII 574 B leguntur:

*ἀλλὰ θαυμάζω, τί με λεξοῦντι Ἴσθμου
δεσπότηι τοιάνδε μελίφρονος ἀρχάν εὐρόμενον σκολιοῦ
ξυνάρορον ξυναῖς γυναιξίν.*

quod si iam constat, haud difficile videtur ad coniciendum Pindarum in scolio quodam a se confecto Terpan dri ut scolorum inventoris mentionem fecisse. eodem enim modo etiam dithyrambi originem celebravit in hyporchemate et dithyrambo quodam, cuius rei memoriam ad nos propagavit schol. Pind. Olymp. XIII 25: *ὁ Πίνδαρος δὲ ἐν μὲν τοῖς Ὑπορχήμασιν ἐν Νάξῳ φησὶν εὐρεθῆναι πρῶτον διθύραμβον, ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν Διθύραμβων ἐν Θήβαις.*

Itaque restat, ut inquiramus, num exstent huius scolii vestigia in Pindari reliquiis. atque unicus quidem locus, quo Pindarus Terpan dri mentionem fecit, traditur ab Athenaeo XIV 635 D: *ἀγνοεῖ δὲ ὁ Ποσειδάωνιος, ὅτι ἀρχαῖόν ἐστιν ὄργανον ἢ μάγαδις, σαφῶς Πινδάρου λέγοντος τὸν Τέρπανδρον ἀντίφθογγον εὐρεῖν τῇ παρὰ Λυδοῖς πηκτίδι τὸν βάρβιτον·*

*τόν ῥα Τέρπανδρός ποτ' ὁ Λέσβιος εὐρεν
πρῶτος ἐν δειπνοῖσι Λυδῶν
ψαλμὸν ἀντίφθογγον ὑψηλᾶς ἀκούων πηκτίδος.*

quos versus revera e scolio depromptos esse testatur idem Athenaeus XIV 635 B: *διόπερ καὶ Πίνδαρον εἰρηκέναι ἐν τῷ πρὸς Ἰέρωνα σκολιῷ τὴν μάγαδιν ὀνομάσαντα ψαλμὸν ἀντίφθογγον κτέ.*

Pindarus igitur hoc loco dicit Terpan drum barbitum invenisse, cum audivisset in epulis Lydorum pulsationem consonam altae pectidis. qua autem ratione barbitum invenerit non edocemur: sed haud difficilis ea res est ad intellegendum. pectis enim eodem modo quo magadis — nam negat Athenaeus hoc loco inter duo illa instrumenta ullam intercedere differentiam ⁵⁾ — duobus diapason, et graviore et acutiore, constituisse fertur ita,

⁵⁾ cf. Athen. XIV 635 B: *Μέναιμος δ' ἐν τοῖς περὶ τεχνιτῶν τὴν πηκτίδα, ἣν τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ μαγάδι, Σαπφῶ φησὶν εὐρεῖν. id. p. 635 E: πηκτίς δὲ καὶ μάγαδις ταῦτόν, καθά φησὶν ὁ Ἀριστόξενος καὶ Μέναιμος ὁ Σικυνώσιος ἐν τοῖς περὶ τεχνιτῶν.*

ut bini soni utriusque diapason inter se respondententes consonarent; cf. Boeckh, de metris Pindari p. 261 sqq., qui perspexit nomen magadidis tribui cuivis instrumento sive chordis intento sive inflando, in quo soni graves et acuti diapason inter se distantes simul proferrentur. ψαλμὸν ἀντίφθογγον igitur Pindarus dixit antiphoniam — ut voce utar apud eos, qui artis musicae sunt periti, satis trita — duorum diapason, et gravioris et acutioris; cf. Athen. XIV 635 B: τὴν μάγαδιον ὀνομάσαντα ψαλμὸν ἀντίφθογγον διὰ τὸ δύο γενῶν ἅμα καὶ διὰ πασῶν ἔχειν τὴν συνφθόγιαν, ἀνδρῶν τε καὶ παιδῶν, id quod apud alios scriptores etiam ἀντίσπαστον vel ἀντιζυγον nominatur⁶⁾. Terpander autem unum diapason idque gravius adhibuisse videtur ad barbitum fabricandum secundum Pindarum, cuius verba Athenaeus recte intellexit, cum diceret p. 635 D: τὸν Τέρπανδρον ἀντίφθογγον εὐρεῖν τῇ παρὰ Λυδοῖς πηκτίδι τὸν βάρβιτον. quamquam Athenaeus sibi ipse oblocutus est eo, quod ante (p. 635 B) ψαλμὸν ἀντίφθογγον recte ad magadidem vel pectidem, hoc autem loco ad barbitum rettulit. sed reputandum est duas in voce ἀντίφθογγος latere significationes, quarum altera est 'consonans sive antiphoniam duorum diapason praebens', altera 'ex adverso respondens'. ex quibus ea, quam posteriore loco attulimus, suo iure usus est Athenaeus, non eo quidem consilio, ut Pindari locum ad verbum interpretaretur, sed ut eum accuratius explicaret. ac sive verba Pindari, qui fortasse ipse utroque sensu vocem illam adhibuerat, pleniora ante oculos habuit, sive eodem tantum usus fragmento suo Marte hanc explicationem protulit, certe rem acu tetigit. facile autem explicatur, cur Terpander ad barbitum fabricandum diapason gravius adhibuisse sit putandus.

⁶⁾ cf. Athen. XIV 635 C: καὶ Φρόνιχος δ' ἐν Φοινίσσαις εἴρηκε·
ψαλμοῖσιν ἀντίσπαστ' αἰείδοντες μέλη.

καὶ Σοφοκλῆς ἐν Μυσοῖς·

πολύς δὲ Φρόξ τριγῶνος, ἀντίσπαστά τε

:

Λυδῆς ἐφύμνει πηκτίδος συγγορθία.

cf. p. 636 B, ubi Diogenis poetae tragici versus commemoratur:

ψαλμοῖς τριγῶνων πηκτίδων ἀντιζόγοις.

pectidem enim acute sonuisse concludas inde, quod Pindarus l. c. eam nominat *ὕψηλὴν* et Telestes apud Athen. XIV 626 A dicit *ὄξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς*. si igitur barbitum erat *ἀντίφθογγον πηκτίδι*, quam ipsam scimus sonuisse acute, diapason autem acutius sonis, qui ipsi sunt acuti, eum tonorum numerum, quo Graeci utebantur, excessit, recte contendisse nobis videmur Terpandrum diapason gravius adhibuisse ad barbitum fabricandum. quam rem iam perspexit Car. de Jan 'De fidibus Graecorum' diss. inaug. Berol. 1859 p. 27 sqq.

Sed barbitum Pindari loco commemoratum nihil aliud significat quam citharam, quacum id saepissime confundebatur a veteribus scriptoribus⁷⁾, crassioresque tantum habebat fides ita, ut graviore essent barbiti soni (cf. Pollux Onom. IV 59 *βαρύμιτον*). inventionem igitur citharae unum diapason complectentis ad analogiam pectidis Lydiae, quae duo diapason exhibebat, Terpandro assignari loco Pindari, cum ante Terpandrum cithara duo tetrachorda complecteretur, quae ita sese excipiebant, ut alterius tetrachordi sonus acutissimus simul gravissimus alterius esset (cf. Volkmann 'Plutarchi libellus de musica' Lips. 1856 p. 158), mihi quidem certissimum est. qua de re conferas Aristotelis Probl. XIX 32: *διὰ τί διὰ πασῶν καλεῖται, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀριθμὸν δι' ὀκτώ, ὡσπερ καὶ διὰ τεττάρων καὶ διὰ πέντε; ἢ δι' ἐπτὰ ἦσαν αἱ χορδαὶ τὸ ἀρχαῖον, εἴτ' ἐξελὼν τὴν τρίτην Τέρπανδρος τὴν νήτην προσέειθε* — id quod etiam Plutarchus loco supra allato tradit — *καὶ ἐπὶ τούτου ἐκλήθη διὰ πασῶν, ἀλλ' οὐ δι' ὀκτώ δι' ἐπτὰ γὰρ ἦν*.

Tali igitur modo si Pindari fragmentum partim interpretamur, partim explemus, sine dubio rectius de hoc loco statuemus, quam si inventionem lyrae septemchordis, cum antea cithara quattuor tantum chordarum nota fuerit, his celebrari sumemus versibus, qua de re Terpander ipse gloriatus esse dicitur apud

⁷⁾ Conferantur loci, qui ad modos, quibus efferebant scolia, pertinent, hi: Phot. bibl. 321. 3 sqq. Hesych. s. v. *μυρρίνης κλάρος ἢ δάφνης*, ubi legimus ad barbiti sonum scolia cantata esse.

Strabonem XIII 618 C: *καὶ Τέρπανδρον δὲ τῆς αὐτῆς μουσικῆς τεχνίτην γερονέναι φασὶ καὶ τῆς αὐτῆς νῆσου, τὸν πρῶτον ἀντὶ τῆς τετραχόρδου λύρας ἑπταχόρδῳ χρησάμενον, καθάπερ ἐν τοῖς ἀναφερομένοις ἔπεσιν εἰς αὐτὸν λέγεται·*

*σοὶ δ' ἡμεῖς τετραγήρουν ἀποστρέψαντες αἰοιδῆν
ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους⁹⁾.*

nam quominus hoc statuamus, impedimur diserto Aristotelis testimonio supro allato, -qui septem chordarum usum perantiquum⁹⁾ esse tradit, aliisque causis, quas enumeratas invenies apud Volkmannum in commentario ad Plutarchi libellum de musica p. 78 sqq. ceterum Terpantrum a Lydis, ut apparet e Pindari verbis, citharam excultiore[m] recepisse, non est quod miremur; nam gentes Asianas, in primis Lydos artes musicas prius quam Graecos excoluisse notum est¹⁰⁾.

At Boeckh ad fragmentum Pindari, de quo agimus, haec adnotavit: 'In hoc fragmento agitur de fidibus a Terpandro ex-

⁸⁾ cf. etiam Euclid. introd. harm. p. 19 Meib., Clem. Alex. Strom. VI p. 685 C Sylb.

⁹⁾ Etiam Nicomachus II p. 29 iam Mercurium lyram septemchordem invenisse tradit respecto sine dubio eo versu, qui est hymni in Mercurium quinquagesimus primus. quibus adde quae Athen. XIV 635 F dicit: *Ἐδφορίων τε ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων τὰ πολύχορδά φησι τῶν ὀργάνων ὀνόμασι μόνον παρηλλάχθαι· παμπάλαιον δ' αὐτῶν εἶναι τὴν χρῆσιν.*

¹⁰⁾ Plut. de mus. c. 6: *ἐκλήθη δ' Ἀσιάς* (scil. ἡ κithάρα Κηπίανος τοῦ Τερπάνδρου μαθητοῦ) *διὰ τὸ κερῆσθαι τοὺς Λεαβίους αὐτῇ κithαρῶδους πρὸς τῇ Ἀσίᾳ κατοικοῦντας.* schol. Apollon. II 777: *Ἀσίαν δὲ ἐνταῦθα τὴν Λυδίαν φησίν. οὕτω γὰρ ἡ Λυδία πρότερον ἐκαλεῖτο. διὸ καὶ ἡ κithάρα Ἀσία ἐκλήθη διὰ τὸ ἐν τῇ Λυδίᾳ πρῶτον εὑρεθῆναι.* cf. praeterea Car. de Jan, de fidibus Graec. p. 10: „cithara non a Graecis ipsis, sed a gentibus Asiaticis — fortasse Lydis — inventa est. vide Etym. Magn. s. v. Ἀσιατίς· ἀσιάδος (sic) [at recte se id habet, si Plutarchi locum modo commemoratum respiciamus] κροῦματα τῆς κithάρας οὕτως Ἀριστοφάνης εἶπε παρωδῶν τὸ ἐξ Ἐρεχθέως Ἐδρικήδου. ἡ τρίχορδος (?) κithάρα οὕτω καλεῖται. εἰρηται δὲ, ὅτι ἐν Ἀσίᾳ τῇ πόλει τῆς Λυδίας κειμένη ἐν Τμώλῳ πρῶτον εὑρέθη. — Ab Asianis Graecos recepisse citharam admodum verisimile est etiam ideo, quod exstat in sacris libris nostris Daniel 3, 5 sqq. vox caldaica KITHAROS, quam Graeci una cum illa recepisse videntur.“

cogitatis, ad quas canebantur scolia. dicebat autem Pindarus de fidibus Terpandreis et Lydiis conviviis, quod in convivio ad fides Lydio modo attemperatas scolium illud canebatur'. atque idem ii, qui inde a Boeckhio Pindari fragmenta illustraverunt, statuerunt (cf. Bergk, Poetae lyr. Gr. I⁴ 424). sed equidem de illis versibus paulo aliter iudicandum esse censeo. etenim verba *ἐν δειπνοῖσι Ἀυδῶν* non significant scolia ad fides Lydio modo attemperatas cantata esse, sed indicant Terpandrum in conviviis Lydiis carmina convivalia ad pectidis sonum cantata audivisse. et quo quaeso consilio poeta id in scolio illo commemorare potuit, nisi eo, ut adderet ad carminum, quibus utebantur Lydi in conviviis, analogiam Terpandrum ad barbiti modo inventi sonum carmina convivalia i. e. *σκολιὰ μέλη* pepigisse? itaque concedamus necesse est Pindarum in versibus, qui hos sequebantur quique servati non sunt, dixisse Terpandrum, cum citharam vel barbitum unum diapason complectentem invenisset, primum *σκολιὰ μέλη* canere a Lydis edoctum esse. neque enim sine consilio verba *ἐν δειπνοῖσι* posita sunt, quae prodere videntur poetam in versibus sequentibus de carminibus convivalibus mentionem fecisse, id quod eo veri similis est, quod versus servatos e scolio depromptos esse supra diximus. accedit denique Plutarchi testimonium haud spernendum. nam unus et solus fons, ex quo accuratiorem de artis musicae apud Graecos historia notitiam petamus, est ille de musica dialogus, quo Plutarchus eius historiam inde ab Amphionis temporibus, qui ex Heraclidis Pontici sententia citharam invenisse fertur, explicavit. librum autem illum Plutarchus eo composuit consilio, ut non quid ipse sentiret in medium proferret, sed sententias veterum scriptorum maxima qua posset usus diligentia congereret. quod quanta religione fecerit scriptor, ostendit R. Westphal in libro, cui inscripsit 'Plutarch über die Musik' (Vratislaviae 1865). ex quadraginta enim capitibus, in quae inde a Wyttenbachio dialogus ille dividi solet, quattuordecim Plutarchus ipse confecit, cetera ad verbum fere aliunde, in primis ex Aristoxeni et Heraclidis Pontici operibus deprompsit (l. c. p. 26). atque etiam capita 28—31, quibus ex-

ponitur, quid novatum sit in arte musica a veteribus poetis, e scriptoris nescio cuius libro sunt deprompta (l. c. p. 25). quibus perpensis iam non video, cur diffidamus verbis supra allatis, quibus confirmatur Pindarum Terpandrum scolorum inventorem dixisse, praesertim cum loci Pindarici exstet fragmentum, in quo de scolorum inventione agi quamquam pro certo affirmare non licet, tamen facili coniectura assequaris.

Sed si locum Plutarchi accuratius inspexerimus, videbimus, cum omnia Terpandri inventa ad musicam pertineant, ut neta Dorica, totus tonus myxolydius, modus orthiae cantilena, trochaeus semantus, etiam scolorum inventionem nihil aliud significare, quam Terpandrum carmina convivalia ad modulos legibus musicis astrictos atque ad barbiti sonum cantare docuisse, cum antea carminum popularium instar cantarentur assa ut ita dicam voce nullo instrumento accinente.

Haec si mente tenemus, apparet Ilgenium perperam Plutarchi verba interpretatum esse, cum p. CXLVII haec diceret: *σκολιὰ μέλη*, quae Pindarus intellegit, sunt nihil aliud, quam cantus lyrici, et celebrat Thebanus vates Terpandrum tamquam inventorem *μελοποιίας* lyricae (cf. etiam p. LXXVII). sed id non vitio vertendum est Ilgenio, si reputamus Pindari locum ei fuisse incognitum. quem si novisset, certe non de melopoeia lyrica in universum, sed de carminibus convivalibus agi intellexisset.

Satis notum autem esse puto, quid sibi velint veteres hunc illumve poetam poesis quoddam genus invenisse referentes. etenim qui huic poesis generi rudi antea ac minus exculto maiora attulit incrementa primusque id vel ad artis praecepta revocavit vel ab aliis gentibus acceptum in patriam introduxit, ad eum deferre solebant veteres eiusdem rei inventionem. atque ita fieri potuit, ut Terpander scolia invenisse perhiberetur a veteribus, quamquam omni dubio est maius tales breves cantilenas convivales in ore hominum fuisse versatas iam longe ante Terpandrum, sed artificiosiore compositione musica carminum popularium instar prorsus caruisse. nam carminibus etiam in conviviis iam antiquissimis temporibus usos esse Graecos ut facile suspiceris in gente

ad hilaritatem nata neque omnino ab arte musica aliena, ita confirmatur similibus apud Romanos carminum usu, quamquam per se patet carmina illa Graeca et Romana pro gentis utriusque natura atque indole longe inter se fuisse diversa. Terpander autem carmina illa convivalia ad lyrae sonum cantare docuit Graecos. quam ob rem non mirabere, si inter alia Terpandri inventa musica etiam scilicet inventionem apud Plutarchum enumeratam inveneris.

Paucis iam verbis attingere mihi liceat Ilgenii opinionem, qui versibus qui in hymno in Mercurium leguntur 52—57 scilicet scilicet poesim significari putat:

αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε χερσὶν ἐρατεινὸν ἄθρυμα,
 πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος· ἢ δ' ὑπὸ χειρὸς
 σμερδαλέον κονάβησε. θεὸς δ' ὑπὸ καλὸν ἀείδεν
 ἐξ αὐτοσχεδίας πειρώμενος, ἥντε κοῦροι
 ἤβηται θαλίῃσι παραιβόλα κερτομέουσιν,
 ἄμφι Δία Κρονίδην καὶ Μαιάδα καλλιπέδιλον.

cui equidem sententiae non possum accedere. nam neque carmen in convivio canit hoc loco Mercurius neque verba ἥντε κοῦροι ἤβηται θαλίῃσι παραιβόλα κερτομέουσιν spectant ad scolia. dicit enim poeta Mercurium carmen ex tempore cecinisse in Iovis et Maiiae honorem eodem modo, quo iuvenes cavillentur inter se in conviviis. summa autem comparationis, id quod Franke recte intellexit, in eo est posita, quod iuvenes illi carminibus se lacesunt non meditantis. itaque non carmina ad citharae sonum cantasse eos apparet ex his versibus, sed verba de iuvenibus dieteriis subitis et fortuitis inter se pugnantibus dicta sunt. quod si Ilgen (l. c. p. LXVII adn. 60), ut obiter id quoque commemorem, affirmat παραιβόλα significare 'invicem, alterna contentione', falsus est; nam idem est παραιβόλα ac παραβλήθην vel ut Latine dicam 'occulte'.

Deinde ne id quidem verum est, quod Ilgen p. LXXXIII contendit, hymnum in Mercurium aetate superiorem esse Terpandro. immo post ac fortasse multo post Terpandrum hymnus ille compositus est. qua de re conferantur: Voss 'Mythologische

Briefe' I p. 216, Matthiae 'Animadversiones in hymnos Homericos' (Lips. 1800) p. 56—66, Greve, 'De hymno in Mercurium Homericò', diss. inaug. Monast. 1867, Lohsee, 'De hymno in Mercurium Homericò', diss. inaug. Berol. 1871, quibus adde ea, quae Baumeister in prolegg. ad hunc hymnum exposuit. quae cum ita sint, apparet nos nihil lucrari ex hoc loco, quo scilicet poesim significari Ilgen putat. plane autem similes loci possunt afferri complures, velut Pind. Ol. I 22:

οἶα παίζομεν φίλων

ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν,

Apollon. Rhod. Argon. I 457 sqq:

μετέπειτα δ' ἀμοιβαδὶς ἀλλήλοισι

μυθεῖνθ', οἷά τε πολλὰ νέοι παρὰ δαιτὶ καὶ οἴνω

τερπνῶς ἐψιῶντο, ὅτ' ἄατος ὕβρις ἀπειή.

quibus locis inspectis quis quaeso putabit agi de scilicet poesim?

II. De scolorum nomine.

Veteres grammaticos ne pilo quidem melius quam nos edoctos fuisse, unde scolia nomen traxissent, sat clare perspicietur, si locos veterum scriptorum, qui de ea re verba fecerunt, accuratius tractaverimus. quamquam enim iam Aristotelis temporibus vixisse traduntur, qui primi, quod sciamus, de scolorum nomine disputaverunt, Dicaearchum dico et Aristoxenum, tamen alii in alias discesserunt partes ita, ut singulae eorum sententiae inter se consociari non possint et facile solam etymologiam vocis *σκολιός*, non ipsam cantiuncularum naturam diversarum illarum interpretationum causam fuisse intellegatur. sat infirmum igitur veteres huic quaestioni explicandae reliquerunt fundamentum, ac vehementer dolendum est viros doctos, qui nostra aetate de scoliis fusius scripserunt, eandem quam veteres ingredi viam satis duxisse, quo factum est, ut probabilitatis quandam speciem secuti modo hanc, modo illam veterum sententiam amplecterentur atque interiorem scolorum nominis et naturae conexum prorsus fere neglegerent.

Sed priusquam singula veterum scriptorum testimonia examinemus, pauca mihi exponenda esse puto de accentu, utrum *σκόλιον* an *σκολιόν* sit scribendum, cum utraque lectio reperiatur promiscue in libris manuscriptis¹¹⁾. ac *σκόλιον* qui scripserunt,

¹¹⁾ De forma *σκολια*, quae legitur apud Pollucem VI 108, cur plura verba faciamus, non esse videtur.

id tantummodo egerunt, ut distingueretur carminis convivalis nomen ab adiectivo *σκολιός*: qua de re conferatur Eustathius p. 1574, 12: *σκόλια δὲ τοῦτό τε καὶ κατ' αὐτὸ λέγεται τῷ μὲν τόνῳ πρὸς διαστολὴν τοῦ κοινῶς σκολιοῦ ἢ πράγματος ἢ λόγου.* hunc secuti sunt lexicographi recentiores, veluti L. Dindorf in Thesouro s. v. *σκόλιον* et C. Keil, qui in quinta lexicī Passoviani editione p. 1460 s. h. v. haec dixit: 'Die gemeine Betonung ist *σκολιόν*, die genauere und richtigere der besten Handschriften *σκόλιον* vgl. Ilgen p. LXXXIV.' at Ilgen, quem laudat Keil ad sententiam suam confirmandam, prorsus contrarium statuit p. LXXXV his usus verbis: 'Sed hae argutiae sunt seniorum grammaticorum; veteribus scriptoribus illud discrimen ignotum fuit'. qua de re is rectissime iudicavit; nam cum saepius etiam dicatur *σκολιδν μέλος*, apparet *σκολιόν* esse adiectivi formam, sive additur *μέλος* sive omittitur. deinde id etiam possit afferri argumentum, quod Pollux, Hesychius, Proclus, Suidas aliique grammatici de accentus discrimine nihil omnino adnotaverunt, quam ob rem nescio, cur Eustathii testimonium pluris faciamus, quam ceterorum grammaticorum silentium, qui certe, cum omnes ab adiectivo *σκολιός* huius nominis originem repeterent, mirum illud accentus discrimen adnotavissent, si omnino tale quid iis fuisset cognitum. itaque desinant tandem editores Pindari, Aristophanis, Platonis, Plutarchi aliorum pervicaciter perseverare in falso illo accentu, qui, sive libri manuscripti suffragantur, sive refragantur, prorsus abiciendus esse videtur.

His igitur expositis iam ad locos veterum, quibus de huius nominis origine accuratius exponitur, tractandos accedamus. ac prima quidem quae ad nos pervenit de scolorum nomine sententia Dicaearcho, Aristotelis discipulo (cf. Cicer. de legg. III 6) debetur, cuius verba apud Suidam s. v. *σκολιόν* exstant haec: *σκολιόν· ἢ παροίνιος φῶδῆ. ὡς μὲν Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων ὅτι τρία γένη ἦν φῶδων, τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ἀδόμενον καθ' ἓνα ἐξῆς, τὸ δ' ὑπὸ τῶν συνετωτάτων, ὡς ἐτυχε τῆ τάξει· ὁ δὲ καλεῖσθαι διὰ τὴν τάξιν σκολιόν.* eadem verba reperuntur in Photii lexico s. v. *σκολιόν* et verbis *διὰ τὴν τάξιν*

omissis in scholiis ad Platonis Gorgiam 451 E. atque idem valet de scholiis ad Aristophanis Ran. v. 1302 et Vesp. v. 1239, quamquam totus locus ibi a Musuro interpolatus esse videtur, cf. Dübneri edit. scholiorum p. 460 et 535. paululum immutata autem praebet haec verba scholiasta ad Luciani pro lapsu inter salutandum c. 6: *σκολιόν, ἡ παροίνιος φῶδή, ὡς καὶ Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῆς· δύο (δὲ?) γένη ἦν φῶδων...*; quae sequuntur cum Suida ceterisque consentiunt. ac Dicaearchi liber utrum inscriptus fuerit *περὶ μουσικῶν ἀγώνων*, quod Suidas alii-que affirmant, an *περὶ μουσικῆς*, quod scholiastae Luciani nititur testimonio, ut inquiremus, non huius loci esse videtur, quam ob rem eos, qui accuratius de ea re edoceri volunt, ad Naekii de Dicaearchi scriptis disputationem Musei Rhenani vol. I (1833) p. 40 sqq. insertam relegasse sufficiet. maioris autem momenti est, quod Luciani scholiasta duo, Suidas tria horum carminum genera fuisse dicit. quod si verba, qualia codicibus traduntur, respicimus, de duobus tantum carminum convivalium generibus agi videtur. sed quominus id pro vero accipiamus, Artemonis obstat testimonium apud Athen. XV 694 A; ubi autem de duobus carminum convivalium generibus sermo est, veluti apud Plutarchum Quaest. sympos. I 1, 5, de quo loco postea accuratius disseramus oportet, res ita est comparata, ut ea carmina aut ab omnibus simul aut a singulis deinceps cantata esse referatur. eo vero, de quo agimus, loco carmina illa in conviviiis aut a singulis deinceps, aut a singulis nullo certo ordine servato cantata esse legimus, id quod nec per se veri simile est, quoniam hymni vel paeanes ab omnibus convivis simul cantati a conviviiis numquam poterant abesse, nec Dicaearchi hanc sententiam fuisse vel inde elucet, quod omnibus locis legitur *τρία γένη* excepto Luciani scholiasta, qui sine dubio verba corrupta esse intellexit et locum suo Marte correcturus perperam scripsit *δύο*. itaque rem acu tetigisse videtur Fridericus Ast, qui in libro, cui inscripsit 'Grundriss der Philologie' p. 105 hunc locum ita constituit: *ὅτι τρία γένη ἦν φῶδων, τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ἀδόμενον, τὸ δὲ καθ' ἕνα ἐξῆς, τὸ δὲ ὑπὸ τῶν συνετωτάτων κτέ.* (cf. etiam Dobraei Adversaria ed. Wagner

III 51 et Naekii opuscula ed. Welcker I 349), quam emendationem pro sua nuper vendidit Franc. Runck l. c. p. 4. H. Koester autem in libro, quem de scoliis composuit, p. 6 scribi iussit: τὸ μὲν ὑφ' ἀπάντων ἀδόμενον, τὸ δ' ὑπὸ πάντων καθ' ἓνα ἐξῆς κτέ. sed tot verba suppleamus necesse non est atque acquiescendum in Astii emendatione, quam Koesterum fugisse vel maxime miror¹²⁾.

Genuinis verbis sic restitutis iam Dicaearchi examinemus sententiam. putabat igitur is scoliis nomen datum esse ex canendi ordine. nam cum peritissimus quisque caneret, ceteri autem, qui canere non didicissent, praeterirentur, seriem canendi iustam, ex qua alter exciperet canendo alterum iuxta accubantem, derelictam esse et turbatam, indeque i. e. propter ordinem obliquum, ex quo iam, qui canendi esset peritus, cantum exciperet, scoliis nomen inditum esse.

Sed hanc sententiam non omnibus Dicaearchi aetatis grammaticis probatam esse confirmatur eo, quod Aristoxenus, Dicaearchi aequalis et condiscipulus (cf. Cicer. Tuscul. I 18, 41 et epist. ad Att. XIII 32, 2), et Phyllis quidam musicus¹³⁾ prorsus aliam de scolorum nomine sententiam protulerunt, quae iisdem locis, quibus Dicaearchi verba leguntur, commemoratur his verbis:

¹²⁾ Siebenkees in anecdot. Graec. Norimb. 1798 p. 30 coniecit: τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ἀδόμενον, τὸ δὲ ὑπὸ πάντων μὲν, οὐ δ' ὁμοῦ, ἀλλὰ καθ' ἓνα ...

¹³⁾ Suidas et Platonis Aristophanisque scholia habent Φύλλης, scholia Luciani Φίλων, Photius Φίλης, Athen. I 21 F: Φύλλης ὁ Δήλιος μουσικός. fragmenta huius musici Deliaci collecta sunt a Muellero, fragm. histor. Graec. IV p. 476. de scriptis eius haec tradit Athen. XIV 636 B: Φύλλης ὁ Δήλιος ἐν δευτέρῳ περὶ μουσικῆς, XIV 634 D: ξυνέγραψε ... περὶ ἀληθειῶν. cur autem Ilgen scribere maluerit Φύλης (l. c. LXXXVIII adn. 68), equidem non assequor; nam etiam Suidae loco, quem ille attulit, quo confirmaretur ista scribendi ratio: Φύλλης· ἢ τοῦ δένδρου. καὶ Φύλλης ὁ μουσικός, hoc nomen scriptum est littera λ geminata, quamquam huius loci nulla omnino est auctoritas, cum verba καὶ Φύλλης ὁ μουσικός desint in optimis libris manuscriptis.

ὡς δ' Ἀριστόξενος καὶ Φύλλης (Φίλων schol. Luc. Φίλης Photius) ὁ μουσικός, ὅτι ἐν τοῖς γάμοις περὶ μίαν τράπεζαν πολλὰς κλῖνας τιθέντες παρὰ μέρος ἐξῆς μυρρίνας ἔχοντες (ἢ δάφνας addit schol. Plat.) ἤδον γνάμῃ καὶ ἐρωτικὰ σύντονα (συμποεῖα exhibet schol. Plat.)· ἡ δὲ περίοδος σκολιὰ ἐγίνετο διὰ τὴν θέσιν (σύνθεσιν schol. Plat.) τῶν κλινῶν (σκολιὰν addit schol. Aristoph.). haec igitur verba omnes habent, pleniorum autem Aristoxeni sententiam unus servavisse videtur Platonis scholiasta, qui haec adiecit: ἐπὶ οἰκημάτων πολυγωνίων οὐσῶν καὶ τούτῳ καὶ τὰς ἐπ' αὐτὰς κατακλίσεις παραβύστους γενέσθαι. οὐ διὰ τὴν μελοποιῶν οὖν, διὰ τε τὴν τῆς μυρρίνης σκολιὰν διάδοσιν, ταύτη καὶ τὰς ῥῥῆδας σκολιὰς καλεῖσθαι. Aristoxenus igitur et Phyllis putabant scolia inde appellata esse, quod in nuptiis circum unam mensam exstructam in cenaculo, ut ita dicam, multangulo plures collocarentur lectuli convivales non recto atque usitato ordine dispositi, sed ita ut singuli lectuli inter se oblique essent collocati (παραβύστοι) — id quod cubiculi forma multangula secum ferebat —: hanc igitur ob lectulorum collocationem obliquam etiam carmina, quae ibi vicissim¹⁴⁾ ita, ut alter alteri deinceps myrti ramum traderet, cantata essent, obliqua i. e. scolia dicta esse.

Aristoxeni sententiam respexisse, sed male intellexisse videtur Plutarchus in Quaest. sympos. I 1, 5, ubi haec leguntur: ἄλλοι δὲ φασὶ τὴν μυρρίνην οὐ καθ' ἐξῆς βαδίζειν, ἀλλὰ καθ' ἕκαστον ἀπὸ κλίνης ἐπὶ κλίνην διαφέρεισθαι· τὸν γὰρ πρῶτον ἄσαντα τῷ πρώτῳ τῆς δευτέρας κλίνης ἀποστέλλειν, ἐκεῖνον δὲ τῷ πρώτῳ τῆς τρίτης, εἶτα τὸν δεύτερον ὁμοίως τῷ δευτέρῳ, καὶ τὸ ποικίλον καὶ πολυκαμπές, ὡς εἶοικε, τῆς περιόδου σκολιὸν ἠνομάσθη. qui Plutarchi error inde natus est, quod is Aristoxeni verba παρὰ μέρος, quae hoc loco idem valent ac κατὰ μέρος vel ἐν μέρει, falso interpretatus est contra

¹⁴⁾ παρὰ μέρος interpretandum esse 'alternis, vicissim' docuit Koester l. c. p. 7 adn. 1; idem enim est παρὰ μέρος ἐξῆς atque illud Dicaearchi καθ' ἕνα ἐξῆς, quamquam id non de scoliis dicitur a Dicaearcho.

vel praeter iustum ordinem' et verba a scholiasta Platonis servata ἐπὶ οἰκημάτων . . γενέσθαι, quae explicationem sententiae Aristoxeni continent, neglexisse videtur, quo factum est, ut explicationem illam ab Aristoxeni sententia mirum quantum differentem neque ullis comprobata argumentis proferret.

Eodem modo etiam Dicaearchi verba Plutarchus male intellexisse videtur paulo ante ea, quae modo exscripsimus, hac sententia prolata: ἐπεὶ τοὶ καὶ τὰ σχολιά φασιν οὐ γένος ἄσμάτων εἶναι πεποιημένων ἀσαφῶς, ἀλλ' ὅτι πρῶτον μὲν ἦδον ᾧδὴν τοῦ θεοῦ κοινῶς ἅπαντες μιᾷ φωνῇ παιανίζοντες, δεύτερον δ' ἐφεξῆς ἐκάστῳ μυρσίνης παραδιδομένης, ἣν αἴσακον, οἶμαι διὰ τὸ ἄδειν τὸν δεξάμενον, ἐκάλουν, ἐπὶ δὲ τούτῳ λύρας περιφερομένης ὁ μὲν πεπαιδευμένος ἐλάμβανε καὶ ἦδεν ἀρμοζόμενος, τῶν δ' ἀμούσων οὐ προσημειμένων σχολίων ὀνομάσθη τὸ μὴ κοινὸν αὐτοῦ μηδὲ ῥάδιον. Plutarchus igitur idem quod Dicaearchus statuit, cum dicat peritissimum quemque (cf. πεποιημένων οὐκ ἀσαφῶς et ὁ μὲν πεπαιδευμένος) scolia cecinisse, sed verbis Dicaearchi διὰ τὴν τάξιν aut perperam intellectis aut adeo neglectis non propter obliquum cantus et lyrae circuitum, sed propter difficultatem talia pangendi carmina scolia appellata esse contendit. ceterum utrum casu an consulto primo eandem viam quam Aristoxenus et Dicaearchus ingressus, postea in argumentatione absolvenda ab iis discesserit, nihil ad hunc locum pertinet et vix puto diiudicari poterit; mihi certe, quae intercedat inter Plutarchi et Aristoxeni Dicaearchique sententias similitudo, breviter significavisse sufficit.

Iam revertamur ad graviorem testem, Artemonem Casandrensem, qui Aristarchi et Cratetis temporibus vixit¹⁵⁾. cuius

¹⁵⁾ Artemonis fragmenta collecta leguntur apud Muelleraum frag. histor. Gr. IV p. 340, qui de vita et scriptis Artemonis haec dicit: 'Aristarchi et Cratetis aut aequalis aut suppar fuit: scripsit περὶ συναγωγῆς βιβλίων (cf. Athen. XII 515 E) et περὶ βιβλίων χρήσεως. ad eundem referenda est collectio epistularum Aristotelis (Dem. de eloc. §. 223, cf. Walz in praef. ad rhet. Gr. vol. IX et Stahr, Arist. p. I p. 206). hoc si recte fit, probabiliter statuimus vixisse eum ante Andronicum, qui Sullanis temporibus

de hac re sententia legitur apud Athenaeum XV 694 A: σκολιὰ δὲ καλοῦνται οὐ κατὰ τὸν τῆς μελοποιίας τρόπον ὅτι σκολιὸς ἦν· λέγουσι γὰρ ἐν ταῖς ἀνειμέναις εἶναι σκολιὰ· ἀλλὰ τριῶν γενῶν ὄντων, ὡς φησιν Ἀρτέμων ὁ Κασανδρεὺς ἐν δευτέρῳ βιβλίων (codd. βιβλίῳ) χρήσεως, ἐν οἷς τὰ περὶ τὰς συνουσίας ἦν ἀδόμενα, ὧν τὸ μὲν πρῶτον ἦν, ὃ δὴ πάντας ἄδειν νόμος ἦν, τὸ δὲ δεύτερον, ὃ δὴ πάντες μὲν ἤδον, οὐ μὴν ἀλλὰ γε κατὰ τινα περίοδον ἐξ ὑποδοχῆς, τρίτον δὲ καὶ τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν ἔχον, οὗ μετεῖχον οὐκέτι πάντες, ἀλλ' οἱ συνετοὶ δοκοῦντες εἶναι μόνοι καὶ κατὰ τόπον τινὰ εἰ τύχοιεν ὄντες· διόπερ ὡς ἀταξίαν τινὰ μόνον παρὰ τάλλα ἔχον τὸ μῆθ' ἄμα μῆθ' ἐξῆς γενόμενον, ἀλλ' ὅπου ἔτυχεν εἶναι, σκολιὸν ἐκλήθη. verba τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν ἔχον ab Ilgenio falso explicantur p. LXXXVII adn. 67: 'tertium autem genus est, quod quidem ad omnes ordine pertingebat', quae interpretatio adversa fronte repugnat verbis proxime sequentibus: οὗ μετεῖχον οὐκέτι πάντες. recta autem verborum explicatio ultro sese nobis offert, si respicimus ea, quae sequuntur: τὸ δὲ τοιοῦτον ἦδετο, ὁπότε τὰ κοινὰ καὶ πᾶσιν ἀναγκαῖα τέλος λάβοι; vertenda igitur sunt verba τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν ἔχον 'post omnia, omnium postremum', cf. Grim l. c. p. 37 adn. 9. verba autem κατὰ τόπον τινὰ εἰ τύχοιεν ὄντες genuina esse non possunt et propter sensum, qui fere contrariam usitatae scolorum explicationi praebet sententiam, et propter verba sequentia ἀλλ' ὅπου ἔτυχεν εἶναι, quibus eandem sine dubio rem significaturus erat Athenaeus. neque vero ad stipulari possum Ilgenio, qui hanc scripturam tueri studet explicando: 'qui loco quodam, si quidem acciderat, erant h. e. loco quisque, quem casus tulerat, accumbebant', laudatque Dalecampii interpretationem: 'qui loco certo quodam accubissent', quae quidem recte se habere videtur, si verba ipsa respicimus, sed prorsus tolerari nequit, si de scoliis haec dicta

Aristotelis scripta edidit. ab altera parte Artemo iunior (?) erat, quam Dionysius Scytobrachion, cuius ipse in opere *περὶ συναγωγῆς βιβλίων* meminuit quique Apollodori fere aequalis fuit c. 150 a. Chr. (cf. Mueller II p. 6 not.)

esse reputamus. quod si Cludium (l. c. I p. 56) secutus voculam *ει* deleveris, eadem restabit difficultas, ut alia, quae possint proferri contra hanc emendandi rationem, reticeam. bene autem huius loci sensum perspexit Casaubonus, cum haec coniceret: *καὶ καθ' ὄντινα οὖν τόπον τύχοιεν ὄντες*. propius adeo ad litterarum, quae traditae sunt, similitudinem accessit Schweighaeuser: *καὶ κατὰ τόπον ὄντινα οὖν τύχοιεν ὄντες*. at sine dubio legendum est: *καὶ κατὰ τόπον ὄντιν' ἀεὶ τύχοιεν ὄντες*, nam una syllaba *ον*, quae post *τόπον* facillime intercidere potuit, addita genuina restituta est lectio, quae plane respondet enuntiato sequenti: *ὄπου ἔτυχεν εἶναι*. hanc igitur coniecturam proposuit Runck l. c. p. 6, qui sine causa necessaria etiam *ὄντες* in *ἔχοντες* mutavit. cetera autem Athenaei verba non habent, quae offendant, quare nimis in coniciendo fuit Runck, qui pro *γενόμενον* scripsit *γένος ἀδόμενον* et verba *ἀλλ' ὄπου ἔτυχεν εἶναι* e glossemate nata esse censuit. nam post *μ*, *θ'* *ἅμα μὴθ' ἐξῆς* necessario desiderantur verba *ἀλλ' ὄπου ἔτυχεν εἶναι*, quippe quibus demum explicetur scolorum nomen.

Quid igitur Artemonem de scolorum nomine tradidisse comperimus? tria is carminum convivalium genera fuisse contendit; alia enim ab universis convivis, alia a singulis ex ordine, alia a peritioribus tantummodo nullo certo ordine servato cantata esse. atque tertii generis carmina scolia appellata esse, cum neque simul ab omnibus, neque deinceps a singulis, sed confuso ordine atque interrupta canentium serie ab uno alterove efferrentur. itaque iam primo patet aspectu Artemonem idem statuuisse ac Dicaearchum. sed quo clarior fiat ea res, utriusque scriptoris verba apponam:

Dicaearchus

ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν
τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ἀδόμενον,
τὸ δὲ καθ' ἓνα ἐξῆς,

Artemo

τριῶν γενῶν ὄντων
ᾧ τὸ μὲν πρῶτον ἦν, ὃ δὴ πάν-
τας ἄδειν νόμος ἦν,
τὸ δὲ δεύτερον, ὃ δὴ πάντες μὲν
ἦδον, οὐ μὴν ἀλλὰ γε κατὰ τινα
περίοδον ἐξ ὑποδοχῆς,

Dicaearchus

τὸ δ' ὑπὸ τῶν συννετωτάτων, ὡς
ἔτυχε τῇ τάξει· ὃ δὴ καλεῖ-
σθαι διὰ τὴν τάξιν σκολιόν.

Artemo

τρίτον δὲ καὶ τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν
ἔχον, οὐ μετεῖχον οὐκέτι πάν-
τες, ἀλλ' οἱ συννετοὶ δοκοῦντες
εἶναι μόνοι καὶ κατὰ τόπον
ὄντιν' ἀεὶ τύχοιεν ὄντες...,
σκολιὸν ἐκλήθη.

haec igitur ita sunt comparata, ut vix a vero aberremus, si contendimus Artemonem Dicaearchum ducem esse secutum eiusque verba ante oculos habuisse.

Alia scolorum nominis explicatio exstat in Photii bibliotheca cod. 239 p. 321 a. 3 ed. Bekker, qui eam e Procli chrestomathia decerpit: τὸ δὲ σκολιὸν μέλος ἦδετο παρὰ τοὺς πότους· διὸ καὶ παροίνιον αὐτὸ ἔσθ' ὅτε καλοῦσιν· ἀνεμῆνον δὲ ἔστι τῇ κατασκευῇ καὶ ἀπλούστατον μάλιστα· σκολιὸν δὲ εἴρηται οὐχ ὡς ἐνίοις ἔδοξεν (cf. Suidam s. v. σκολιόν· τὸ ῥάδιον κατ' ἀντίφρασιν) κατ' ἀντίφρασιν — τὰ γὰρ κατ' ἀντίφρασιν ὡς ἐπίπαν τοῦ εὐφημισμού στοχάζεται, οὐκ εἰς κακοφημίαν μεταβάλλει τὸ εὐφημον —, ἀλλὰ διὰ τὸ προκατελιημένων ἤδη τῶν αἰσθητηρίων καὶ παρεμμένων οἴνω τῶν ἀκροατῶν τηρικαῦτα εἰσφέρεισθαι τὸ βάρβιτον εἰς τὰ συμπόσια καὶ διονυσιάζοντα ἕκαστον ἀκροσφαλῶς συγκύπτεσθαι (sic emendavit Sylburg scripturam traditam συγκόπτεσθαι) περὶ τὴν προφορὰν τῆς φῶδης· ὅπερ οὖν ἔπασχον αὐτοὶ διὰ τὴν μέθην, τοῦτο τρέψαντες εἰς τὸ μέλος σκολιὸν ἐκάλουν τὸ ἀπλούστατον. Proclus igitur ipse scolia carmina simplicia fuisse statuit, sed, cum eorum interpretationi, qui scolia κατ' ἀντίφρασιν nomen accepisse opinabantur, accedere nollet, scolia, quamvis fuissent carmina facilia ad pangendum, tamen difficilia (δύσκολα) visa esse sibi persuasit convivis vino titubantibus et propter crapulae gravedinem mente impeditis turbatisque.

A Procli explicatione non ita multum recedit Orionis sententia in Etymologico Magno s. v. σκολιόν· ἀπὸ τοῦ μεθύουσι καὶ σκολιῶς ἔχουσι τὰ αἰσθητήρια ἄδεσθαι. neque id mirum.

nam Orio Thebanus¹⁶⁾ teste Marino vita Pr. c. 8 Procli magister fuit (cf. Maur. Schmidt, Did. fragmenta p. 390). porro si recte observata sunt ea, quae dicit Schmidt l. c.: 'Didymi *περὶ ποιητῶν* tractatum primum atque adeo unicum non modo Orioni in locis aliquam multis, sed etiam Proclo Lycio in duobus prioribus chrestomathiae libris fontem fuisse non sine maxima veri specie suspiceris', sine dubio iure contendemus e Didymo fluxisse, quae utrique sunt communia et Orioni et Proclo. at Didymum eandem quam Proclum et Orionem amplexum esse de scolorum nomine sententiam aegre mihi persuadeo; nam sat absurdam eam esse vix quisquam infitias ibit. egisse autem de scolorum nominis origine Didymum ex Etym. Magn. s. v. *σκολιόν· Δίδυμός φησι διαφόρους ἐτυμολογίας ἐν (τῷ) τρίτῳ τῶν συμποσιακῶν* scimus, ubi fortasse attulit, sed non approbavit illud nominis veriloquium, quod Orioni et Proclo maxime arrisisse non Didymo ipsi vitio est vertendum.

Procli explicationi adversatur Eustathius p. 1574, 12 his verbis: *σκόλια δὲ τοῦτο τε καὶ κατ' αὐτὸ λέγεται τῷ μὲν τόνῳ πρὸς διαστολὴν τοῦ κοινῶς σκολιοῦ ἢ πράγματος ἢ λόγον· τῇ δ' ἐννοίᾳ οὐχ ὅτι σκολιά εἰσι λόγῳ ψόγον, ἀλλὰ κατὰ τινα μελοποιίας νόμον, ὃς οἷα εἰκὸς οὐ πρὸς εὐθὺ ἐμέλλετο, ἀλλὰ ποικίλως ἐσκολιοῦτο.* calami sine dubio lapsu apud Ilgenium exaratum est *λόγῳ ψόγον*, quem errorem Runck nimis credulus veram scripturam esse ratus coniecit: *λόγων ψόγον* 'ut tortuosus verborum sonus vel artificiosius genus dicendi' significaretur. Koester autem quamquam codicum scripturam compertam habuit, tamen, quid verba tradita significarent, ignorans coniecit: *εἰς λόγον ψόγον*. sed recte exhibent codices *λόγῳ ψόγον*, quod significat: 'sensu malo, sensu reprehensionis', qualem sensum Orio et Proclus in scolorum nomine inesse opinati sunt.

Denique Hesychius haec habet de scolorum nomine s. v. *σκολιά· τὴν παροιμίον φῶδὴν οὕτως ἔλεγον οὐ διὰ τὸν τῆς μελο-*

¹⁶⁾ De Oro et Orione, quorum nomina sescenties confunduntur a veteribus scriptoribus, egregie disputavit Fr. Ritschl Opusc. I pp. 582—673.

ποιίας τρόπον, ὅτι σκολιὸς ἦν, ἀλλ' ὅτι οὐχ ἅπαντες ἤδον αὐτά, ἀλλὰ μόνον οἱ συννετοί, nimirum propter canendi difficultatem¹⁷⁾. cum Hesychio igitur altera, quam attulimus, consentit Plutarchi explicatio.

Saepius scolia commemorantur eorumque nomen explicatur in scholiis ad Aristophanis comoedias, ubi scholiastae modo hanc modo illam sequuntur explicationem, novam non afferunt. veluti in scholio ad Vesp. v. 1222 haec leguntur: ἀρχαῖον ἔθος ἐστιαμένους ἄδειν ἀκολούθως τῷ πρώτῳ, εἰ παύσαιτο τῆς ᾠδῆς, τὰ ἐξῆς· καὶ γὰρ ὁ ἐξ ἀρχῆς δάφνην ἢ μυρρίνην κατέχων ἦδε Σιμωνίδου ἢ Στησιχόρου μέλη, ἀχρὶς οὐ ἤθελε, καὶ μετὰ ταῦτα, ᾧ ἐβούλετο, ἐδίδου οὐχ ὡς ἡ τάξις ἀπῆται· καὶ ἔλεγεν ὁ δεξιόμενος παρὰ τοῦ πρώτου τὰ ἐξῆς κάκεινος ἐπεδίδου πάλιν, ᾧ ἐβούλετο. διὰ τὸ πάντασ οὖν ἀπροσδοκῆτως ἄδειν καὶ λέγειν τὰ μέλη σκολιὰ εἰρηται διὰ τὴν δυσκολίαν. ad Vesp. v. 1239: ἔνιοι δὲ φασιν ὡς ἐκ τοῦ ἐναντίου προσηγορεύθησαν σκολιὰ τὰ παρσίνια μέλη· ἀπλὰ γὰρ αὐτὰ ἐχρῆν εἶναι καὶ εὐκολα ὡς παρὰ πότον ἀδόμενα· οὐκ εὔ δὲ τοῦτο· τὰ γὰρ δύσφημα ἐπὶ τὸ εὐφημότερον μεταλαμβάνεται, οὐ μὴν τοῦμπαλιν· ἀλλ' ὅτι οὐκ ἀπὸ τοῦ ἐξῆς ἡ λύρα τοῖς συμπόταις ἐδίδοτο, ἀλλ' ἐναλλάξ διὰ τὴν σκολιὰν τῆς λύρας περιφορὰν σκολιὰ ἐλέγετο. vides igitur hoc loco Dicaearchi Artemonisque repeti sententiam. priore autem loco duae confusae sunt explicationes, altera Dicaearchi, qui propter singularem canendi ordinem scolia vocata esse statuit, altera Plutarchi Hesychiique, qui ex canendi difficultate ea nomen traxisse coniecerunt. Eustathii autem sententia legitur in scholio ad Ran. v. 1302 (1329 ed. Inverniz.): σκολιὰ μέλη τινὰ προσηγορικῶς οὕτω λεγόμενα· καὶ προπαροξύνεται τοῦνομα πρὸς διαστολὴν τοῦ ἐπιθέτου· οὕτω δὲ λέγεται διὰ τὸ μὴ κατ' εὐθὺν μέλεσθαι, ἀλλὰ σκολιῶς¹⁸⁾.

¹⁷⁾ Plutarchus quaest. symp. V 3, 2 σκολίων ἐπίγραμμα dicit epigramma obscurum et difficile intellectu.

¹⁸⁾ Hoc scholion reperitur in editione Inverniziana, deest apud Duebnerum.

Diversas quoque scolorum nominis etymologias Ioannes Tzetzes in carmine, cui inscribitur *Ἰαμβοὶ τεχνικοὶ περὶ κωμωδίας*¹⁹⁾, attulit inde a v. 82 usque ad v. 92. quos versus iam, ne multis utar in referendo verbis, totos exscribam:

σκαμβῶν μετ' αὐτὰ νῦν μελῶν κλήσιν μάθε.
λέγοντες ἦσαν ταῦτα καιροῖς τῶν πότων.
σκαμβὰ δ' ἔφασκον ὡς ἀπλᾶ μᾶλλον τάδε·
ἄλλοι δὲ φασιν, ὡς ἀναγκαῖον πότοις
ἄδειν ὑπήρχε πρὸς ψαλάγματα λύρας·
ὅσοις ἐνῆν δὲ μηδαμῶς λύρας τέχνη,
δάφνης λαβόντες εἶτε μυρσίνης κλάδους,
ἦδον καλοῦντες σκαμβὰ τὰ λύρας μέλη·
ἄλλοι δὲ τοὺς ἄδοντας εἶπον τὴν λύραν
οὐχὶ κατ' εὐθύ, συστροφαῖς δὲ λαμβάνειν·
οὕτω τὸ λοιπὸν κλήσιν ἔσχε τὰ μέλη.

Tzetzes igitur Suidæ sententiam de scolorum nomine amplexus est, quamquam in eo erravit, quod vocabulo *σκαμβός* in ea re explicanda usus est; nam *σκαμβόν* non eodem modo quo *σκολιόν* sensu translato est difficile (*δύσκολον*), quam ob rem neque *κατ' ἀντίφρασιν* dici poterat *σκαμβά* pro *ἀπλᾶ*. praeter ea hoc loco Plutarchi et Dicaearchi commemoravit Tzetzes sententias. cur autem haec carmina *σκαμβά* appellaverit: utrum scolia anti-quitus hoc habuerint nomen an Tzetzes id propter metri rationem solam adhibuerit, haud difficile est dictu; nam cum hoc loco excepto scolia nusquam *σκαμβά* appellentur, veri similis esse videtur Tetzem ipsum hoc nomen, cum *σκαμβόν* eandem vim haberet ac *σκολιόν* (cf. Hesych. s. v. *σκολιά· σκαμβά*), praetuisse utpote ad versus quos pangebatur accommodatum.

Iam habes omnes veterum locos, quibus, unde originem traxerit scolorum nomen, explicetur. nunc brevi in conspectu

¹⁹⁾ Tzetzae carmen exstat in tribus codicibus: cod. Paris. Reg. 2644, ex quo editum est a Duebnero (cf. Mus. Rhen. 1836 p. 154 sq. et prolegg. ad schol. Aristoph. p. XXV sq.) et codicibus Barocciano et Meermaniano, quos excussit Cramer (Anecd. Oxon. III p. 334 sqq.).

ponamus varias huius nominis explicationes. exstant autem in universum quidem sex inter se discrepantes sententiae, quas in hac tabella breviter adumbrabo:

A. σκολιόν = ἐπικαμπές.

a) propter canentium ordinem, qui erat obliquus. quem ordinem obliquum explicaverunt

I. alii ita, ut peritiores tantum cecinisse, canendi imperitos praetermissos esse statuerent (Dicaearchus atque Artemo).

II. alii ita, ut unumquemque quidem cecinisse, sed propter obliquam lectorum in nuptiis collocationem canendi ordinem inflexum fuisse affirmarent (Aristoxenus, Phyllis, similiterque Plutarchus loco, quem attulimus, priore).

b) propter melodiae, quam dicunt, modum, qui

III. vocabatur *σκολιδὸν μέλος* (Eustathius).

B. σκολιόν = δύσκολον.

a) propter canendi difficultatem,

IV. cum canendi tantummodo periti admitterentur (Plutarchus loco altero, Hesychius).

b) propter talium carminum pangendorum facilitatem, unde iam statuebant alii

V. κατ' ἀντίφρασιν scolia appellata esse (Suidas); alii

VI. convivarum animis vino excitatis ac turbatis carmen adeo facillimum visum esse difficillimum (Orion et Proclus).

Hac ex descriptione iam luculenter apparet, quem ad modum scriptorum singulorum sententiae inter se sint comparatae, neque minus luculenter patet iam veteres ipsos fabulatos esse de scolorum nomine neque certius quicquam compertum habuisse. quo modo enim, quaeso, tot tamque variae poterant circumferri sententiae, nisi res ipsa plane fuisset ignota? etenim hae explicationes omnes versantur in eo, ut certa quaedam adiectivi *σκολιός* statuatur significatio atque ad scolorum nomen explicandum adhibeatur a grammaticis parum curiosis, utrum vel e sermonis

natura atque indole vel ex ipsius carminum generis ingenio id fieri possit necne.

Sed iam videamus, quid nostrae aetatis viri docti de scoliolorum nomine statuerint. Cludius igitur l. c. I p. 54 putat iam antiquissimis temporibus pervulgatos fuisse cantus, sed rudes ac sine artificio; temporum demum decursu certa quaedam genera adamata esse, ὀρθά (ἔπη, ᾄσματα, μέλη) nominata, antiquos autem illos modos musicos nulla artis lege astrictos permansisse in multis carminibus, quorum metra hanc ob rem fuisse incerta vel σκολιά (ἄτακτα). carmina autem vulgo scolia appellata metro illo incerto fuisse composita atque hanc ob rem nomen accepisse. cum Eustathio igitur consentire videtur Cludius itemque Koester, qui (de cantilenis popul. vet. Graec. p. 72 et de scoliis p. 13) ab ipsius melopoeiae natura scolia appellata esse contendit. atque idem fere statuunt Ulrici l. c. II 380 et Mueller I³ 317²⁰).

Santen autem l. c. in scoliis quondam pedem amphibrachym, cui etiam nomen fuerit scolio, usitatissimum fuisse suspicatur atque inde scolia nomen traxisse contendit. quam ad sententiam fulciendam unum profert argumentum e Diomede grammatico sumptum, qui p. 475 P (I 479. 11 K) haec dicit: 'scolius quoque ideo (scil. amphibrevis dicitur), quia habiliter componitur scolio; est autem citharae (legendum est 'cantilinae' cf. Santen in Ter. Maur. p. 90) species mensalis'²¹).

Dicaearchi sententiam Ilgen l. c. p. CLXXVII amplectitur, quem secuti sunt Hallström p. 19, Grim p. 8, Runck p. 9 alii, in primis, qui litterarum Graecarum scripserunt historiam, Bernhardt, Mure, Nicolai. Bode l. c. II b p. 465 de scoliolorum nominis origine hoc modo disputavit: 'Verschiedene Formen passten nicht auf eine und dieselbe Melodie; und da sie Athenäus

²⁰) Jacobs l. c. VI 291 Eustathium sententiam suam e Didymo hausisse existimat.

²¹) Notatu dignum esse videtur excepto hoc uno loco apud scriptores Latinos scoliolorum nusquam mentionem fieri.

(XV 694) bei demselben Gastmahle nacheinander singen lässt, so musste es einem jeden Gaste freistehen, mit der metrischen Gestalt zugleich auch die Tonart zu wechseln, und vielleicht führte die ganze Dichtungsart gerade von diesem Umstande ihren Namen’.

Duae quae commemorantur restant sententiae, quarum utra sit monstruosior ac perversior, non ausim diiudicare: Riemeri et Hartungii. ac Riemer in lexico Graeco II 895 sq. ed. IV haec dicit: ‘Was Stoff und Inhalt betrifft, so sind es kurze, abgerissene Gedanken, lyrische Aphorismen, so dass man sie füglich von *κόλος*, *κολιός* ableiten könnte (!)’. Hartung autem (Griech. Lyr. IV p. 228) ita argumentatur: ‘Die Lieder können Quergedichte (*σκολιός* = *ἄνισος* d. h. von dem einen zum andern springend) darum genannt worden sein, weil sie als Entgegnungen in die Quere kamen, oder auch weil sie durch witzige Anordnung aus ihrem eigenen Geleise gerissen wurden (!!)’.

Nunc quoniam enumeravimus, quidquid a veteribus recentioribusque grammaticis de scolorum nomine est prolatum, nostrum esse puto, ut accurate examinemus unamquamque sententiam, qua re demum perfecta, quid ipsi statuamus, certius enuntiare licebit. ac primum quidem Dicaearchi, quem scolorum nomen ab inflexo canendi ordine derivasse supra diximus, examinemus sententiam, quippe quae tanto opere arriserit Ilgenio, ut eam unice veram esse comprobare studeret. qui autem hunc secuti sunt, nulla omnino nova attulerunt argumenta, magis Ilgenii quam Dicaearchi ipsius auctoritate rem esse profligatam arbitrantur. primum igitur argumentum Ilgen affert talem nominis explicationem non abhorrere a Graecorum more, quippe cum per analogiam etiam *κύκλια μέλη* (vel *ἄσματα*) et *κυκλίους χορούς* inde nomen accepisse constet, quod a choris circa aram dei ductis cantata sint, itemque *στροφή* et *ἀντιστροφή* (dicendum erat: *ἀντίστροφος*) a versione et reversione saltantium nomen habeant (cf. l. c. pp. XCIV et CLXXVII). altero autem usus est Ilgen argumento ex ipsa re petito, quo explicaret, qui factum

esset, ut cantus continuatio modo huc modo illuc traheretur pro arbitrio canentium et viam faceret quodam modo *σκολιάν* (cf. p. CLX—CLXXVII).

Age iam inquiramus, num Ilgenii argumenta ea esse videantur, quibus adducamur, ut Dicaearcho adstipulemur. ac primo quidem obtutu facile aliquis opinetur eodem utique modo, quo carminibus cyclicis, etiam scoliis nomen inditum esse, in primis cum utrumque nomen perantiquum esse non possit negari. commemorantur enim iam apud Aristophanem *κύκλιοι χοροί* in Nub. v. 333: *κυκλιων τε χορων ασματοκαμπτας*, Ran. v. 366: *κυκλοισι χοροισιν υπαδων*, atque eodem modo *κύκλια μέλη* Av. v. 917 sq.: *μέλη πεποληκ' εις τας Νεφελοκοκκυγίας τας υμετέρας κύκλια τε πολλά και καλά*. alii loci exstant apud Euripidem, Xenophontem, Aeschinem alios, quibus locis facile evincitur hoc nomen non a grammaticis vel metricis demum inventum esse, sed re vera iam antiquitus fuisse in usu. at analogia, quam inter carminum cyclicorum et scolorum appellationem intercedere dicit Ilgen, non multum valet, immo, si rem accurate perpenderit, continuo evanescet. nam primum non omni dubio maius est carmina cyclica nomen habuisse a choro forma orbiculata circa aram dei collocato, qua de re conferatur Hartungii disputatio de dithyrambo in Philologi v. I 397 sqq., qui carmina cyclica et chorum cyclicum inde esse appellata praeefracte negat et nomen ad carminum ipsorum compositionem refert²²⁾. sed licet concedatur tritam ac vulgarem carminum cyclicorum explicationem posse defendi, ne sic quidem quicquam lucrabere ad scolorum nomen per analogiam explicandum. si enim chori saltationes per orbem fiebant, certe etiam metrum et rhythmus respondebant huic motui orbiculari, neque quaelibet carminis compositio ad saltandum apta erat, sed ea tantummodo, quae conveniebat decursui incitato et aequabiliter atque uno tenore peracto saltationis cyclicae, id est dithyrambi. itaque saltationem vel artem orchesticam arte cum

²²⁾ Hartungii de carmine cyclico sententiam iure amplexus est Bernhardy II 1^a p. 650.

metro, rhythmō, melodia fuisse coniunctam nemo non videt, et, si a saltatione cyclica carmina nomen traxisse sumimus, certe non a re quadam externa atque adventicia, ut scolia e Dicaearchi Ilgenique sententia, sed arte cum carminum ipsorum vi ac natura cohaerente ea appellata esse concedendum est.

Quid autem dicamus de strophis et antistrophis, quarum nomen simili modo ab Ilgenio in comparationem vocatur, sed meo quidem iudicio falsissime? nam ante omnia dicendum est non certam quoddam carmen hoc indicari nomine neque ipsum carmen vocari stropham, sed significari tantummodo proprietatem quandam ad compositionem metricam et rhythmicam omnium poesis Doricae carminum pertinentem, non carminum ipsorum naturam. itaque haec cum scolorum nomine comparare non licet, quoniam vocibus *στροφή*, *ἀντίστροφος* artis metricae terminus qui dicitur technicus continetur, voce autem *σκολιόν* certum poesis genus designatur. quae cum ita sint, cur haec duo in primis exempla afferat Ilgen, nulla omnino causa esse videtur. immo talia afferre debebat nomina, qualibus genus poesis quoddam e re externa atque adventicia — id quod e Dicaearchi sententia de scolorum nomine statuendum est — appellatum esse demonstrari posset: quam ob rem certe maiore iure eius modi nomina, qualia sunt *τραγῳδία*, *καμῳδία*, *δαφνηφορικά* alia permulta, enumerare potuit. sed quid, quaeso, si ad talia confugiamus, inde lucrermur? itaque iam mittamus hanc rem, qua Dicaearchi sententia neque confirmatur neque refutatur. sed qui e Platonis aliorumque scriptis cognoverit fere omnes Graecos disciplinae musicae fuisse peritissimos atque iam a pueris id edoctos esse, is facile concedet haud veri similem esse Dicaearchi sententiam, qui ordinem canendi interruptum et complures convivas in canendo praetermissos esse statuit, quod nemo nisi peritissimus quisque scoliū, carminum convivalium genus illud simplicissimum, canere potuisset. hoc enim posterioribus fortasse temporibus, quibus scolia modo paulo artificiosiore canebantur, qua de re postea agemus, evenire poterat, sed eo tempore, quo Graeci in artes litterasque diligentissime incumbabant, id certe rarissime accidebat. quae res

ut intellegatur, conferas locum, qui est apud Cicer. Disp. Tusc. I 2, quo docemur Themistoclem habitum esse indoctiorem, cum in epulis lyram recusasset; ac similia de Cimone tradidit Plutarchus in vita eius c. 4. quamquam Ilgen tali ratiocinationi obloquitur dicens p. CLXXVII scolia ab initio fuisse certamina ipsorum poetarum mensae familiari simul accumbentium et ex tempore canentium, neque id ipsum sine magna aut exercitatione aut arte fieri potuisse. sed qui, quaeso, potest afferri locus, quo haec confirmetur sententia? ut enim concedamus scolia potuisse cani ex tempore, quis tradit id scolorum fuisse proprium? denique num tu putas in conviviis, ubi sua cuique debebat esse convivae voluptas, carmina fuisse adamata, quae a doctioribus tantummodo poterant cani?

At novum argumentum ad Dicaearchi sententiam confirmandam attulit Runck dicens p. 14: 'cur certam regulam (in ordine canendi) veteres sibi statuisset putandi sint, equidem non video causam. immo dissolutum ac plane liberum fuisse ordinem, cum per se sit simplicissimum maximeque scolorum naturae consentaneum, tum ipsis veterum testimoniis probatur et confirmatur'. quo argumento quid excogitari potest ineptius? namque ut concedamus Runckio ex arbitrio hunc illumve nullis ordinis certi vinculis constrictum tantum excepisse, quo modo scolia appellari poterant a re, quae, ut Runckio quidem videtur, nihil habet insigne et per se intellegitur? itaque non modo nomen a canentium ordine derivari nequit, verum etiam falso tradit Dicaearchus peritissimum quemque cecinisse haec carmina.

Ceterum fictam ac futilem esse Dicaearchi sententiam inde etiam apparet, quod Aristoxenus et Phyllis, qui eadem qua Dicaearchus vixerunt aetate, eam respuerunt. quid ergo sequitur? nihil aliud puto, nisi iam Dicaearchi temporibus scolorum et nomen et usum fuisse abolitum illumque proprio Marte finxisse explicationem nomini atque usui aequae repugnantem. quae si recte disputata sunt, iam tota de scolorum nomine corrumpit Ilgenii disputatio, quae his finitur verbis p. CLXXVII: 'quae

(sc. Dicaearchi sententia) eo maius habere pondus videtur, quod Dicaearchus Aristotelis est discipulus et ea aetate vixit, ut ipse tali ludicro interesse et scolia canere potuerit; qui igitur non ex opinione et ex mero vocis etymo, sed ex experientia et certa rei exploratione iudicasse putandus est.' at si usque ad Dicaearchi tempora scolia in usu erant, cur Aristoxenus, Dicaearchi aequalis, multo alio modo scolorum et nomen et usum explicavit? ceterum de aetate, qua scolia floruerint et quando obsoleverint, aptius alio loco dicemus. haec igitur de Dicaearchi sententia.

Iusto minoris usque adhuc miror habitam esse Aristoxeni sententiam atque id fere prorsus neglectum esse, quod musicus ille clarissimus scolia non a melopoeiae modo nomen accepisse tradidit. nam certe a musico exspectaremus sententiam similem eius, quam tulit Eustathius, qui a modo quodam musico scolia appellata esse contendit. sed Aristoxenus ut Dicaearchi respuit sententiam, quae ei parum veri similis esse videbatur, ita gravis testis est suis quidem temporibus rem fuisse inauditam scolia a melodia nomen traxisse. at quam ipse excogitavit explicationem de lectulis in nuptiis inter se oblique collocatis prorsus reicere non dubito. quid enim? solisne in nuptiis scolia cantata esse statuamus? ac quo modo, quaeso, scolia a lectulis oblique collocatis appellari poterant, si hic mos in nuptiis tantummodo observabatur? an praestat iudicare scolia initio cantus nuptiales fuisse? minime. sed quamvis talis explicatio nobis non probetur, tamen haud inutilia sunt Aristoxeni verba, quippe quibus edocemur musicorum illius aetatis principi non placuisse scolorum nominis originem repetere a modo quodam musico, neque magis eum potuisse sibi persuadere canendi ordinem fuisse inflexum, quod doctiores tantum canerent; quae duae explicationes iam ob id ipsum, quod ille eas respuit, non magnam prae se ferunt veri similitudinem.

Neque maiorem fidem habeamus oportet Plutarcho, qui non propter ordinem canentium inflexum, sed solum, quod difficilia erant, carmina illa nomen accepisse tradit. quae opinio pariter

relectanea est atque interpretatio eorum, qui a facilitate talia pangendi carmina κατ' ἀντίφρασιν vel ἐκ τοῦ ἐναντίου scolia dicta esse arbitrabantur. nam hi sunt aperti grammaticorum lusus, qui nescii, unde derivarent nomen, ridiculo sane modo rem ignotam explicare studebant. etenim quo iure poterat Plutarchus scolia difficilia esse contendere, quae facillima fuisse constat? contra si facilia erant carmina, num tu putas revera Graecos σκολιόν appellavisse τὸ μὴ σκολιόν, ut 'lucum' a 'non lucendo'?

Plutarchi et Suidae sententiam consociare studet Proclus, qui ipse carmina facilia fuisse concedit, sed convivis vino captis difficilia visa esse carmina simplicissima putat. quae sententia Koestero valde arrisisse videtur, quippe quam e scriptore melioris notae, Didymo, desumptam esse censeret p. 8, dummodo minus accurate verba esse descripta statueremus. quamquam genuina verba restituere — id quod promiserat — Koester omisit²³), cum ei praematura morte abrepto disputationem de scoliis incohatam ad finem perducere non liceret. mihi autem verba Procli sanissima esse videntur paucis, quae non ad rem ipsam pertinent; exceptis, neque offendor, ut Koester, verbis: σκολιόν ἐκάλουν τὸ ἀπλούστατον, quae plane respondent antecedentibus: ἀνειμένον δὲ ἐστὶ τῆ κατασκευῆ καὶ ἀπλούστατον μάλιστα. itaque quid sibi voluerit Proclus, facillimum est intellectu, cum fere idem sit, quod statuit Orio. sed non possumus acquiescere in hac sententia. nam primum nimis quaesita est talis significationis μεταφορά, qualem statuit Proclus, deinde sat absurdum esset contendere Graecos propter vinolentiam atque ebrietatem convivantium scoliis nomen imposuisse.

Quae restat Eustathii sententia, qui scolia a modo quodam musico nomen habere statuit, eam ferri posse non negem, cum apte

²³) Koester quidem p. 13 Procli sententiam recte se habere dicit, dummodo σκολιότητα non ad canentium animos, sed ad ipsum poesis genus rettuleris. sed tale quid vix coniectando e scriptoris verbis elici potest.

a melodia poesis genus appellari potuerit. sed una subest difficultas eaque haud levis: id enim quaeritur, quae fuerit illa melodia. quam difficultatem perperam expedivit Santen, qui a pede scolio i. e. amphibrevi nomen ortum esse statuit Diomedis grammatici auctoritatem praetendens. nam primum nusquam in scoliis indagare possumus pedes amphibreves, deinde grammaticus ille ipse non scolia a pede scolio vel amphibrevi, sed pedem scolium a carmine scolio appellatum esse dicit, denique si nomen 'scolius' pro amphibrevi et amphibrevis in scoliis erat usitatus, cur Aristoxenus hanc facillimam explicationem non est amplexus? quod cum non fecerit, mihi quidem certissimum est argumentum pedi scolio nihil esse commune cum scoliis.

Sed quid tum, iam audio clamitantes omnes, si Aristoxeni auctoritate prohibemur, quominus explicationem, quae ex omnibus veri simillima est, amplectamur, ipsa autem Aristoxeni explicatio minime apta est? cum igitur iam eo argumentationem nostram deduxerimus, ut prorsus simus destituti testimoniis veterum auctorum, quippe quae sint sat dubiae auctoritatis, ab ovo rem retractandam esse persuasum habeo et redeundum ad eam aetatem, qua scolia usu recipiebantur, i. e. ad lyricae poesis primordia, num fortasse quaedam possint deprehendi vestigia, quibus nixi nominis originem indagemus.

Ac Terpan drum carmina convivalia excoluisse cantibus, qui in Lydorum conviviis erant usitati, in ea re adiutum iam supra ostendimus. nomen autem scolorum Graecum quin sit et perantiquum, dubitari non potest. nam falsus est Ilgen p. CXXVI adn. 78 dicens: 'nomen *σκολιόν* de carmine mihi quidem antiquissimis temporibus aequae videtur incognitum fuisse ac seriore de pede'. etenim iam Pindarus dixit apud Athen. XIII 574 B: *τοιάνδε μελίφρονος ἀρχὰν εὐρόμενον σκολιοῦ*, et nomen illud sine dubio iam longe ante Pindarum in usu erat.

Ac nomen quidem ad carminum compositionem melicam pertinere putaverim, quoniam *σκολιὰ μέλη* — ubi enim *σκολιὰ* legitur altero nomine non adiecto, *μέλη* cogitatione supplendum est —, si ad

verbum vertimus, sunt 'cantilenae inflexae, inflexis melodiis compositae', ut dicitur *ἀνάπαιστα μέλη* et similia. sed de carminibus, quae *σκολιά μέλη* nominantur, tum demum sermo potest fuisse, si quae erant scoliis opposita carmina exstabant. iam cum vox *σκολιός* opposita sit voci *ὄρθός* vel *ὄρθιος*, iure colligas olim carmina quaedam fuisse *ὄρθά ἄσματα* vel *ἔπη* a Graecis vocitata. nam quo modo, quaeso, Graecis in mentem venire poterat *μέλος* quoddam *σκολιόν* appellare, si antea non noverant *ἄσματα μὴ σκολιά* vel *ὄρθά*? itaque videndum est ante omnia, si quidem fide digna habeatur volumus sententia nostra, num possit demonstrari antiquitus fuisse carmina, quae aut nominata sint *ὄρθά*, aut quorum natura atque indoles ita fuerit comparata, ut *μέλη* iis opposita nominari poterint *σκολιά*.

Quem ad finem inquiramus oportet, quae fuerit ars musica Terpandri temporibus. ac tradit de ea re Plutarchus de mus. c. 6 haec: τὸ δ' ὄλον ἢ μὲν κατὰ Τέρπανδρον κιθαροφθία καὶ μέχρι τῆς Φρύνιδος ἡλικίας παντελῶς ἀπλή τις οὔσα διέτελει . . . τὰ γὰρ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀφοσιωσάμενοι ἐξέβαινον εὐθὺς ἐπὶ τε τὴν Ὀμήρου καὶ τῶν ἄλλων ποιήσιν. δῆλον δὲ τοῦτ' ἔστι διὰ τῶν Τέρπανδρον προοιμιῶν. de Terpandri autem poesi verbis Glauci apud Plut. c. 5 edocemur: ἐξηλωκέναι δὲ τὸν Τέρπανδρον Ὀμήρου μὲν τὰ ἔπη, Ὀρφέως δὲ τὰ μέλη. versu igitur heroico composita erant carmina illa antiqua et ad citharae sonum, ut Orphei cantilenae, cantabantur. poesis Terpandreae autem laus posita erat in nomis quos vocant condendis, quorum argumenta ad deos pertinebant quique ab aliis poesis melicae generibus, in primis hymnis, eo differebant, quod exstructi erant certis periodis inter se diversis, sed certa lege sese excipientibus, ita tamen, ut compositione antistrophica carerent atque ab uno tantum homine decantarentur (cf. C. H. Walther, commentationis de Graecae poesis melicae generibus particula. diss. inaug. Halis Sax. 1866 p. 38 sqq.). metro in nomis condendis in primis usus est Terpander hexametro dactylico, cf. Plut. de mus. c. 4: ὅτι δὲ οἱ κιθαροφθικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν συνίσταντο, Τιμόθεος ἐδήλωσε. Phot. bibl. cod. 239 p. 320, 5: δοκεῖ δὲ Τέρπανδρος

μὲν πρῶτος τελειῶσαι τὸν νόμον ἠρώα μέτρον χρησάμενος. praeter ea Plutarchus de mus. c. 28 eum orthios et trochaeos semantos invenisse dicit, a quibus metris etiam duorum nomorum genera nomina accepisse tradit Pollux Onom. IV 65: ἀπὸ δὲ ῥυθμῶν Ὀρθίος καὶ Τροχάιος (scil. νόμος λέγεται). itaque ante Terpandrum metrum heroicum fere solum in usu fuisse videtur, et quae Terpander invenit metra, trochaeum semantum et orthium dico, ita comparata erant, si metrorum illorum usum melicum spectas, ut non ita multum differrent a versu heroico (cf. Rossbach-Westphal, Metrik II² 280). quam rem iam, quo facilius intellegatur, hac tabula proposita illustrabo:

carminis textus	┌	┐	┌	┐	┐	┌	┐	┌	┐
citharae soni	┌ <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td>	┐	┌	┐	┐	┌	┐	┌	┐
	┌ <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td>	┐	┌	┐	┐	┌	┐	┌	┐
	┌ <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td>	┐	┌	┐	┐	┌	┐	┌	┐
	┌ <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td>	┐	┌	┐	┐	┌	┐	┌	┐
	┌ <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td> <td style="padding-left: 5px;">┌</td> <td style="padding-left: 5px;">┐</td>	┐	┌	┐	┐	┌	┐	┌	┐

unde apparet poetam id egisse, ut numeros ad hexametri dactylici normam accommodaret. ante Terpandrum igitur, ut modo diximus, metrum in carminibus, si carmina popularia nullo certo metro astricta exceperis, heroicum solum fuisse videtur. atque ipsum illud metrum, quo carmina antiquissima confecta erant, olim orthium appellatum esse, ex quibusdam quae etiam nunc exstant vestigiis conicias. Hesychius enim verbum ὀρθιάζειν explicat verbo μαντεύεσθαι, respecto videlicet rhythmō orthio vel dactylico in oraculis usitatissimo, atque eadem glossa legitur in Photii lexico, ubi pro ὀρθιάζειν exstat ὀρθριάζειν. deinde apud Longinum III 7 ed. Weiske (cf. Longini prolegomena ad Hephaestionem VII p. 141 ed. Gaisford) a Pythia (vel Orpheo) versus hexameter dactylicus ὀρθίος nominatur. haec enim dicit Longinus: ὅτι δὲ τοῦτο (scil. μέτρον καλοῦμεν καὶ τὸν χρόνον) οὕτως ἔχει, παράδειγμα τεθήσεται, ὃ τινες μὲν Ὀρφῆως, τινὲς δὲ τῆς Πυθίας παραλαμβάνουσι· περὶ γὰρ τῶν ἐπῶν λέγων ἢ λέγουσα ὀρθιον, ἑξαμερῆς τετόρων καὶ εἰκοσι μέτρον.

quae cum ita sint, a veri specie non est aliena coniectura

hexametrum dactylicum, metrum illud antiquissimum, *δοθιον* olim appellatum esse.

Sed ne in aliam partem ac dicta sunt verba mea accipias, scito me haud ignorare grammaticis, qui de arte metrica scripserunt, orthii nomen longe aliud quid significasse. illi enim *δοθιον* (i. e. recte ascendentem) *πόδα* certum quoddam iambi genus nominabant, cf. Aristid. Quint. p. 37 ed. Meib.: *δοθιος* ὁ ἐκ τετρασήμεου ἄρσεως καὶ ὀκτασήμεου θέσεως et p. 38: ὁ δὲ δοθιος (ἐκλήθη) διὰ τὸ σεμνὸν τῆς ὑποκρίσεως καὶ βάσεως. (Bacchius sen. p. 25 M: *δοθιος* ἐξ ἀλόγου ἄρσεως καὶ μακρᾶς θέσεως οἶον ὄργη, de quibus verbis vide quae disputavit Westphal, *Metrik* I^o 96). at nonne eidem nomini, quo grammaticorum temporibus rhythmus ascendens significabatur, antiquissimis temporibus alia subici potuit sententia?²⁴) neque vero ego is sum, qui pro certo affirmare audeam hexametrum olim orthium appellatum esse, quamvis id ex iis, quae supra diximus, non sine quadam probabilitate colligatur. sed si locos, quos supra attulimus, respexeris et verba Maximi Tyrii diss. XXIII c. 5 legeris: *ἀλλ' οὐ πᾶσι καλὰ οὐδὲ ἀεὶ καλὰ· οὐδὲ γὰρ τῶν ἐν μουσικῇ μελῶν εἰς νόμος οὐδὲ εἰς χρόνος. καλὸν μὲν ἐν πολέμῳ τὸ δοθιον, καλὸν δὲ ἐν συμποσίῳ τὸ παροίνιον, καὶ καλὸν μὲν Λακεδαιμονίοις τὸ ἐμβατήριον, καλὸν δὲ Ἀθηναίοις τὸ κύκλιον, καὶ καλὸν μὲν ἐν διώξει τὸ ἐγκλευστικόν, καλὸν δὲ ἐν φρυγῇ τὸ ἀνακλητικόν· ἤδεῖα μὲν πᾶσα μοῦσα, ἀλλὰ τὸ τῆς χρείας οὐχ ὅμοιον πᾶσιν*, ubi aperte carmini convivali — quis enim est, qui voce *παροίνιον* lecta non statim de scoliis cogitet — opponitur τὸ *δοθιον*, non poteris facere, quin concedas antiquissima carmina i. e. carmina epica hexametris composita, si ipsa orthia non nominabantur, tamen ea natura atque indole fuisse et veteribus ipsis ita visa esse, ut carmina illis opposita *σκολιά* dici potuerint.

²⁴) Apud Homerum quidem verbum *δοθιος* est ἀπαξ λεγόμενον (II XI 11 ἤϋσεν δοθια) et significat: 'intenta voce'. atque eandem significationem haec vox etiam apud Pind. Ol. IX 117, Nem. X 76, Aesch. Pers. 389, Cho. 751 aliis locis habet.

Iam quid novavit in arte musica Terpander? citharam unum diapason exhibentem invenit, qua inventa effecit, ut unicuique deinceps voci vel syllabae in recitando citharoedus posset succinere eamque proprio citharae sono distinguere — unde poesis melica originem duxit —, cum antea citharae soni carmini recitando tantummodo praemitterentur, iisque praemissis sola canentis vox declamaret (cf. Bode l. c. II 1 p. 178 adn. 1). atque haec praeclare iam perspexit Ilgen, qui p. LXXXI sic disputavit: ‘hunc rudiolem et nimis simplicem heroicae aetatis cantum Terpander immutavit et artificiosiore reddidit non amplius satis habens singulis carminis periodis citharae tactu praecinere, sed vocis flexus tum ascendendo tum descendendo fidium sonis perpetuo comitans’ (cf. etiam pp. LXXVIII et LXXXIII). quod si Bergk (Hist. litt. Graec. I 432 sq.) demonstrare studuit iam Homero notum fuisse eum canendi modum, qui vulgo ad Terpan drum auctorem refertur, optime hanc opinionem refutavit Susemihl (‘Kleine Beiträge zur griechischen Literaturgeschichte. Homer und Terpan dros’. Annal. philol. CIX 649 sq.).

Nonne igitur hanc ipsam ob rem aptissime statui poterat Terpan drum *σκολιὰ μέλη* invenisse? at, dicat aliquis, quamquam tibi concedo Terpan dri inventa fuisse eius modi, ut *μέλη* ab eo excogitata nominari possent *σκολιὰ*, eo ipso apparere videtur *μέλη* illa *σκολιὰ* non ad scolia i. e. carmina convivalia esse referenda, sed ad totam poesim melicam. si autem tota poesis melica ita appellari poterat, quo modo explicabis sola carmina convivalia scolia nominata esse? haud difficile meo quidem iudicio. etenim iam exposuimus primordia poesis melicae esse repetenda a Lydis, quos carmina melica in epulis cantasse Terpan droque magistros fuisse Pindarus loco, quem supra fusius tractavimus, tradidit. itaque non a poesi sacra, sed a poesi hilari ac populari poesis melica originem duxit, si Pindaro fidem habemus. illud igitur poesis melicae genus, quod carminum popularium simillimum est, antiquissimum habendum est. haec autem sunt carmina illa brevialia convivalia. cetera genera melica, quae perantiqua esse non possumus negare, veluti hymni, dithyrambi, hymenaei,

epithalamia, alia a poesi sacra orta sunt et primitus versus heroici legibus astricta erant; melicis vero modis ea temporum demum decursu instruebantur (cf. Bode II 1 p. 99 sqq.).

Terpander igitur poetarum Lesbiacorum princeps breves illas cantilenas populares, quae iam inde ab antiquissimis temporibus sine arte in conviviis cantari solebant, iustis modulis instruxit, et quod cithara tum primum per totum carmen pulsari coepta est — id quod rhythmō *σκολιότητα* quendam versus heroici gravitati vel ut ita dicam *ὀρθόθετι* oppositam afferebat — tales cantilenaе scolia nominabantur. itaque poesis melica initio convivalis fuisse videtur et scolorum nomine appellata, postea autem, vel, ut rectius dicam, non multo post alia etiam carmina *μελικῶς* canebantur, quam ob rem scolorum nomen non amplius ad totam poesim melicam referebatur, sed ad vetustissimam i. e. carmina convivalia.

Facile autem demonstrari potest revera ab Aeolibus poesim convivalem in primis excultam esse. etenim si illius poetae carmina, qui primus, quod sciamus, in terra Aeolica mansit neque, ut Terpander et Arion, in civitatibus Doricis maximam vitae partem degit, si Alcaei carmina respicimus, videmus ea fuisse *προοίμια, στασιωτικά, ἐρωτικά, συμποτικά*, quae argumenta brevibus poematiis ab uno tantum homine ad citharae sonum cantandis absolvebantur. haec autem carmina omnia apte poterant in epulis cani et revera cantabantur. quam ob rem de Aeolibus Heraclides Ponticus apud Athen. XIV 624 D haec dicit: *ὀκειῶν ἔστ' αὐτοῖς ἢ φιλοποσία καὶ τὰ ἐρωτικά καὶ πᾶσα ἢ περὶ τὴν διαίταν ἄνεσις*. quid igitur? nonne verum quodam modo praesagii Hartung, qui l. c. VI 7 in hunc modum disputavit: 'Die Bestimmung (der aeolischen Poesie) anlangend, so scheint diese ganze Poesie eine Tischpoesie zu sein, weil die Lieder bei Tische zum Weine gesungen zu werden bestimmt waren, und alle miteinander von der Art sind, dass sie in einem Commercebuche, wie wir das heutigen Tages zu nennen pflegen, sich gut ausnehmen würden. Es ist das also eine Skolienpoesie, wie es denn auch

keines der alkaeischen und auch der anakreontischen Gedichte gibt, das nicht als Skolion gesungen wurde und gelegentlich auch einmal ein Skolion genannt wurde'.

Tota igitur poesis melica . in qua primum varia metra variis modis ad citharae sonum accommodata adhibebantur, initio scolorum nomine significata esse videtur. quod nomen usurpatum est, quia contra metrorum dactylicorum in poesi sacra usitatorum rigiditatem νόμος, ut Eustathii utar verbis, ποικίλως έσκολιοῦτο in carminibus popularibus et convivalibus, in quibus primis cithara per totum cantum pulsabatur, id quod metro maximam suppeditabat varietatem. hoc igitur modo carmina variis metris composita sunt, quae primum scolia nominabantur, quod nomen postea, cum poesis melica magis magisque excoleretur et alia quoque carmina ac convivalia melice componerentur, non prorsus evanuit, sed non amplius totam poesim melicam significabat. permansit enim nomen in vetustissimo tantummodo poesis melicae genere, carminibus convivalibus. quae cum ita sint, veritatis umbram in Eustathii detegere possis verbis supra iam allatis: (σκόλια λέγεται) κατά τινα μελοποιίας νόμον, δε οία είκός ού προς εὔθῶ έμέλετο άπλοικώτερον, αλλά ποικίλως έσκολιοῦτο. quamquam in eo falsus est Eustathius, quod a certo quodam modo musico scoliis nomen impositum esse dixit. neque enim certo quodam modo composita erant scolia ita, ut ab eo nomen profectum esse statuas, sed omnes poesis melicae modi initio videbantur esse obliqui (σκολιολ), quod nomen mansit antiquissimae poesi melicae i. e. carminibus Aeolicis. carmina autem Aeolica antiquitus erant convivalia, quo factum est, ut scolia etiam in posterum significarent carmina convivalia.

Si forte quis miretur, quod inter poetarum Aeolicorum reliquias etiam hymenaei, epithalamia, alia reperiantur, quae certe ad poesim convivalem non pertinent, ei reputandum est nobis fragmenta servata esse eorum tantum poetarum, quorum temporibus poesis Aeolica iam erat exulta ac perfecta (cf. Bode II 2 p. 379). tum enim non amplius satis habebant Aeoles car-

mina brevia convivalia μελικῶς recitare, sed etiam ea carmina, quae ante carminum epicorum instar composita erant (cf. p. 43 extr.), ad citharae sonos cantare consuerant.

Tali modo si nominis originem explicamus, patet, cur Graeci posteriorum temporum, et musici et grammatici, falsas de ea re protulerint explicationes, deinde, cur tanto opere fluctuent sententiae grammaticorum et veterum et recentiorum, quibus finibus sit circumscribendus scilicet usus, disceptantium aliaque id genus, quae facile intellegas, si meam amplectare de nominis illius origine sententiam.

III. De scolorum vi ac natura.

Sive forte fortuna accidit, sive altius repetenda est causa, certe res est memoratu digna nos, quamvis accuratissime edocti simus, a quo, quando, quibus adiumentis adhibitis scolia cantata sint, tamen notitiam fere nullam habere, quid fuerit scolorum poesis proprium, quo agnoscerentur primo statim aspectu scolia neque ambigeretur, utrum certum quoddam carmen ad hoc poesis melicae genus esset referendum necne. nam neque veteres auctores, neque, qui nostra aetate de hoc poesis genere disputaverunt, certam idoneamque scolorum protulerunt definitionem, quo fit, ut dubius haereas, libeatne adstipulari iis, qui totam fere poesim convivalem scolorum nomine esse appellandam arbitrantur — quae sententia a nonnullis quidem *ἐν παρέργῳ* prolata est, sed a nemine, quod sciam, explicata —, an illis, qui pauca quaedam carmina, quae aperte a veteribus scriptoribus ita appellantur, scolia habenda esse sibi persuaserunt. instituturus autem accuratius fere primus hanc quaestionem, rem ita agam, ut ante omnia testimonia veterum hac de re diligenter collecta recenseam. sunt autem, quae veteres quasi definitionis loco tradiderunt, haec: Athenaeus XV 694 B: τὸ δὲ τοιοῦτον (σκολιόν) ἦδετο, ὅποτε τὰ κοινὰ καὶ πᾶσιν ἀναγκαῖα τέλος λάβοιεν· τῆνικαῦτα γὰρ ἦδη τῶν σοφῶν ἕκαστον ᾠδὴν τινα καλὴν εἰς μέσον ἤξιουν προσφέρειν. καλὴν δὲ ταύτην ἐνόμιζον τὴν παραίνεσίν τε τινα καὶ γνώμην ἔχειν δοκοῦσαν χρησίμην τε εἰς τὸν βίον. Aristoxenus et Phyllis apud Suidam et Photium s. v. σκολιόν (cf. schol. Plat.

Gorg. 451 E, schol. Lucian. pro laps. int. sal. c. 6): . . . ἦδον γνάμιας καὶ ἔρωτικὰ σύντονα (συμποΐα addit schol. Plat.). Photius bibl. cod. 239 p. 321, 5 Bekker: ἀνειμένον δὲ ἐστὶ (σκολιόν) τῆ κατασκευῆ καὶ ἀπλούστατον μάλιστα. Cramer Anecd. Oxon. IV 314, 4: σκολιόν ἐστὶ ποίημα πρὸς συμποσίον συναγωγὴν εὐθέτως ἔχον ἱστορίας καὶ παιδίαις (corr. παιδιαῖς) οἰκείαις πότῳ συμπεπλεγμέναις. καλεῖται δὲ ἐπίνοιον (corr. ἐποίνιον). schol. Plat. Gorg. 451 E: εἰρησθαι δὲ αὐτὸ σκολιὸν κατ' ἀντίφρασιν, ὅτι ῥάδια καὶ ὀλιγόστιχα ὡς ἐπιγράμματα. Clemens Alexandrinus 72, 3 S: ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς παλαιοῖς Ἑλλησι παρὰ τὰς συμποτικὰς εὐωχίας καὶ τὰς ἐπιψευκαζούσας κύλικας Ἑβραϊκῶν κατ' εἰκόνα ψαλμῶν ἄσμα τὸ καλούμενον σκολιὸν ἦθετο κοινῶς ἀπάντων ἅμα φωνῆ παιανιζόντων, ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ ἐν μέρει περιελιπόντων τὰς προπόσεις τῆς ᾠδῆς. οἱ δὲ μουσικώτεροι καὶ πρὸς λύραν ἦδον. Eustathius 1574, 14: μυρία δὲ τοιαῦτα (σκόλια) περιφέρονται, τὰ μὲν σκαπτικά, τὰ δὲ πρὸς ἔρωτα, πολλὰ δὲ καὶ σπονδαῖα. Suidas s. v. σκολιόν· τὸ ῥάδιον κατ' ἀντίφρασιν, μέλος τι ὀλιγόστιχον.

Iam si perlustramus, quae redundant ex his locis de poesis huius indole, haec sunt: scolia erant carmina brevia ac minuta ita, ut prae se ferrent epigrammatum fere speciem (cf. schol. Plat. et Suid. loco altero). metra autem fuisse minus legibus astricta ac simplicia tradidit Photius. porro si ea, quae de argumentis Athenaeus, grammaticus apud Cramerum, Eustathius rettulerunt, comprehendimus, ea ad convivia, amores, philosophiam, historiam alia pertinuisse comperimus. plus vero uno nomine memorabilis est locus e Clemente Alexandrino depromptus, unde scolia similia fuisse psalmodiarum Hebraicarum cognoscimus et cantata esse a convivis cum communiter carmen efferentibus, tum etiam invicem succedentibus in canendo et per cantici vices propinationem circumagentibus. ac primum memorabilis est locus, quod comperimus similitudinem quandam intercessisse inter psalmos et scolia, quam quidem similitudinem Clemens omisit accuratius explicare; sed si quis psalmodiarum vim ac naturam perspectam habuerit, ei non difficile erit ad intellegendum, quibus

potissimum rebus illa similitudo agnoscat. etenim psalmi, ut nomine ipso confirmatur, ad psalterii vel citharæ sonum cantabantur eodem modo quo scolia, et, cum utrumque carminum genus cena iam ad finem perducta cantaretur, neque inde multum differebant. quamquam negari non potest hanc comparisonem non omni ex parte recte se habere; nam scolia cena quidem finita, sed inter pocula i. e. per symposium canebantur: psalmis tum demum locus erat, cum totum convivium erat finitum, neque fas erat inter vel post psalmorem recitationem symposium continuare. deinde affirmat Clemens scolia cum a singulis, tum ab omnibus simul cantata esse, id quod adversa fronte pugnare videtur cum iis, quæ de hac re tradiderunt Dicaearchus, Athenæus, Plutarchus, alii, qui ab uno tantum conviva, ut erat poësis Aeolicæ proprium, scolia cantata esse tradunt. sed de hac re postea accuratius agemus.

Haec sunt, quæ veteres de scolorum vi ac natura tradiderunt. pauca sane ac quæ non sufficiant, ut penitus cognoscatur poësis illius genus. neque vero magis dilucida sunt ea, quæ viri docti nostræ aetatis de ea re protulerunt. qui enim aliter fieri potuit, ut Ilgen quinquaginta scolia nobis servata esse putaret, Bergk (Poet. lyr. Graec. III³ 1287 sqq.) triginta, Hartung (Griech. Lyr. VI 51 sqq.) viginti septem? adde quod quæ in libellis, quibus de scoliis agitur, et in compendiis, quibus historia litterarum Graecarum explicatur, et passim hic illic de scolorum natura leguntur, tam ambigua, vaga, incerta sunt, ut primo intellegas aspectu rem nondum satis esse exploratam accurataque egere disquisitione, qua certius quid statuatur. nam Ilgen ipse accuratius definire omisit, quid eius carminis esset proprium, quod appellatur scolum. novissime autem qui de scoliis egit Runck l. c. eam rem explicare aggressus est perperam, cum e locis illis, quibus scolia a peritissimo quoque cantata esse traditur, concluderet (p. 10): 'fuisse scolia initio quasi florem poësis, non unicuique notam, plenam sententiarum, non sine sale'. cur autem multa quæ nobis supersunt scolia in istam sententiam non quadrent, ipse his studet explicare verbis: 'attamen

quid impedit, quominus antiquissimis temporibus eas tantum cantilenas scolorum numero ascriptas esse arbitremur, in quibus praecepta fuerint vitae bene constituendae vel his similia, tum paulatim inscitia videlicet originis principalisque verbi significationis alia quoque parva carmina convivalia iis esse admixta? etenim quia inter cenam maxime recitabantur, idem fere habuere *σκολιόν* et *παροίνιον*. num igitur, quaeso, quicquam lucratur, si cum Runckio facimus? nam ut taceam de inficeta illa opinione scolia initio praecepta tantummodo continuisse, Runck graviter contra omnem rationem peccavit, quod iis carminibus, quae scolia fuisse veteres diserte tradiderunt, ad quaestionem instituendam non usus est fundamento, sed ex solo nomine vel eo, quod canendi peritissimos tantummodo scoliis esse usos grammatici rettulerunt, rem ita explicare conatus est, ut contenderet scolia fuisse carmina graviora ac difficiliora praecepta vel tale quid continentia. quid? num igitur omnia carmina, quibus praecepta continentur, atque ea sola scolia esse dicamus? quo quid est absurdius? itaque mittamus novissimum scolorum poesis commentatorem et ipsi rem denuo aggrediamur.

Scolia fuisse carmina convivalia diserte traditur ab omnibus; cf. Etym. Magn. s. v. *σκολιά*· τὰ συμποτικὰ ἄσματα. Phot. s. v. *σκολιόν*· ἢ παροίνιος ᾠδή. Hesych. s. v. *σκολιόν*· τὴν παροίνιον ᾠδὴν οὕτως ἔλεγον. Eustath. 461, 22: *σκόλιον εἰς αὐτοὺς* (Ἀλκμαιωνίδας) ἤδετο, ἡγῶν μέλος τι ἐψάλλετο παροίνιον τοιοῦτον. Cramer, Anecd. Oxon. IV 314. 6: *καλεῖται* (σκολιόν) δὲ ἐπ-οίνιον. Pollux Onomast. VI 108: *καὶ παροίνια δὲ ἄσματα ἦν καὶ σκολιά*.

Quem locum novissimum miro quodam modo interpretati sunt viri docti. putant enim duo discerni hoc loco carminum genera: *παροίνια* et *σκολιά* (cf. Ilgen pp. LXXI et CXCIV, Hallström p. 31, Grim p. 42, Bernhardt I⁴ p. 73, Koester de cant. pop. p. 70 adn. 1, Runck p. 13, Ulrici II 377 adn. 223, Bode II 2 p. 457 alii). sed perperam. nam verba non haec significant: 'et *παροίνια* et *σκολιά* erant', sed: 'etiam *σκολιά* erant

carmina convivalia' (*ἄσματα παροίνια*), id quod luce clarius colligitur et e totius loci indole et ex iis, quae antecedunt §. 107: τῶν μέντοι συμποτικῶν καὶ αἰνίγμα καὶ γρῖφος, ubi τῶν μέντοι συμποτικῶν idem valet atque illud *παροίνιον*²⁵⁾.

Id vero mihi proferendum esse videbatur contra Ilgenium ceterosque, quia illi hoc nixi loco demonstrāre studebant *παροίνια* et *σκολιά* carmina fuisse inter se prorsus diversa. attamen id neque hoc neque alio veterum loco comprobatur; nam quae Pollux alio loco (IV 53), quem ad unum omnes neglexerunt, enarrat poesis lyricae genera, ubi *παροίνια* et *σκολιά* discernuntur, tam perturbata confusaque sunt, ut omnem fidem huic loco derogemus necesse sit. sed quo melius id intellegatur, totum apponam locum: τὰ δὲ ποιήματα καὶ ᾠδαὶ καὶ ἄσματα καὶ μέτρα καὶ λόγοι ἔμμετροι, ἔπη, ἥρωεῖα, ἑξάμετρα, ῥαψωδία, ἐλεγεία, πεντάμετρα, τρίμετρα, ἐπιγράμματα, Ἰαμβοὶ, Ἰαμβεῖα, ἀνάπαιστα, μέλη χορικά, τετράμετρα, στροφή, ἀντίστροφος, ἐπιδός, ὕμνοι, προσόδια, παιᾶνες, δαφνηφορικά, τριποδηφορικά, διθύραμβοι, ἰθυφαλλικά, ὠσχοφορικά, παροίνια, ἰόβακχοι, ὑπορχήματα, θρίαμβοι, ἐπιλήνια, ἐπιλοῖμια, παρθένεια, ἐπιθαλάμια, ἐγκώμια, ἐπίνικοι, σκολιά, θρήνοι, σιλλοί· κωμωδία, τραγωδία, πάροδος, στάσιμον, ἐμμέλεια, κομματικόν, ἔξοδος, εὐκτικά, ἐμβατήρια, ὑμέναιος, νόμοι, προοίμια, προούλια, προνόμια, ἴουλοι, οὐλαμοί, οὐπιγγοί, λίνος, ἐπιμύλιος ᾠδή, ἕμερος καὶ ἕμαδος, καὶ ὁ δὲ ᾄδων ἱμαϊδός. iam quicumque hanc nominum legerit seriem, concedet nihil auctoritatis inesse in Pollucis verbis, cui certe non in animo fuit singula poesis distinguere genera, sed quotquot reperire potuit afferre nomina, incuriosus utrum certam quandam rationem sequeretur in iis enumerandis necne, quam ob rem bis posuit unum idemque genus, cum diversis id significaretur nominibus.

Contra autem si Procli partitionem poesis melicae (Phot. bibl. cod. 239 p. 319, 32) sat aptam inspicimus, *παροίνια* non

²⁵⁾ Codex Pollucis Parisinus 2670, quem Bekker A vocat, pro *παροίνια* habet *συμποτικά*, qua scriptura comprobatur nostra loci interpretatio.

esse commemorata videmus: *περὶ δὲ μελικῆς ποιήσεως φησὶν, ὡς πολυμερεστάτη τε καὶ διαφόρους ἔχει τομάς· ἃ μὲν γὰρ αὐτῆς μεμέρισται θεοῖς, ἃ δὲ ἀνθρώποις, ἃ δὲ εἰς τὰς προσπιπτούσας περιστάσεις. καὶ εἰς θεοὺς μὲν ἀναφέρεσθαι ὕμνον, προσόδιον, παιᾶνα, διθύραμβον, νόμον, ἀδανίδα, ἰόβακχον, ὑπορχήματα· εἰς δὲ ἀνθρώπους ἐγκώμια, ἐπινίκους, σκολιά, ἐρωτικά, ἐπιθαλάμια, ὕμναιους, σίλλους, θρήνους, ἐπικήδεια· εἰς θεοὺς δὲ καὶ ἀνθρώπους παρθένια, δαφνηφορικά, ὠσχοφορικά, εὐκτικά.* — Alter locus e Procli chrestomathia depromptus (Phot. cod. 239 p. 321, 3): *τὸ δὲ σκολιδὸν μέλος ἦδeto περὶ τοὺς πότους· διὸ καὶ παροιόνιον αὐτὸ ἔσθ' ὅτε καλοῦσιν falso explicatur ab Ilgenio* : p. CXCv sic disputante: 'cum dicat ἔσθ' ὅτε καλοῦσιν, videtur nihil aliud velle, quam scolia interdum quidem vocari *παροιμία*, quia sicut *παροιμία* canerentur περὶ τοὺς πότους, sed nomen illud alii generi competere'. at num Proclus dicturus erat nomen alii generi competere? minime; nihil aliud enim dicere voluit ille nisi scolia interdum nominari carmina convivalia, quo nomine non aliud carminum genus significatur, sed carminum argumentum exprimitur. conferas etiam schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1240: *τοῦτ' ἄν τι λέξεις σκολιδόν· τοῦτο οἱ μὲν Ἀλκαίου, οἱ δὲ Σαπφῶς. οὐκ ἔστι δέ, ἀλλ' ἐν τοῖς Πραξιλλῆς φέρεται παροιμίῳις.* quo ex loco apparet non diversa carminum genera fuisse *παροιμία* et *σκολιά*, nam quod Aristophanes ipse distincte nominat *σκολιδόν*, depromptum est e Praxillae carminibus convivalibus. itaque recte B. Stark (Quaestion. Anacreont. libri duo. Lips. 1846 p. 8) contra Ilgenium haec disputavit: 'quod Ilgenius aliud genus carminum convivalium *σκολιά*, aliud *παροιμία* putaverit, . . . id nulla scriptorum auctoritate nititur. apparet enim *παροιμία* nihil aliud, quam universe carmina inter scyphos cantata significavisse, quorum species fuerint *σκολιά*'.

Sed iam redeamus, unde orsi sumus. cum enim iam constet scolia fuisse carmina convivalia, circumspeciamus oportet, quae carminum genera in conviviis cantata sint: seiunctis enim iis, quae aperte scolorum vim ac naturam prodere non videntur, fortasse nobis continget, ut certo possimus definire, quae carmina sint scolia.

De carminibus convivalibus tres in primis exstant loci apud veteres scriptores, quorum maior pars tradit tria fuisse carminum convivalium genera. ac primus est Dicaearchi locus supra iam allatus: *Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων, ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν (scil. συμποτικῶν)· τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ἀδόμενον, (τὸ δὲ) καθ' ἓνα ἐξῆς, τὸ δὲ ὑπὸ τῶν συνετωτάτων, ὡς ἔτυχε τῇ τάξει, ὃ δὴ καλεῖσθαι διὰ τὴν τάξιν σκολιόν.* alter est Artemonis locus apud Athen. XV 694 B: *ἀλλὰ τριῶν γενῶν ὄντων, ὡς φησὶν Ἀρτέμων ὁ Κασανδρεὺς ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ χρήσεως, ἐν οἷς τὰ περὶ τὰς συνουσίας ἦν ἀδόμενα, ᾧν τὸ μὲν πρῶτον ἦν, ὃ δὴ πάντας ἄδειν νόμος ἦν, τὸ δὲ δεύτερον, ὃ δὴ πάντες μὲν ἤδον, οὐ μὴν ἀλλὰ γε κατὰ τινα περίοδον ἐξ ὑποδοχῆς, τρίτον δὲ καὶ τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν ἔχον, οὐ μετεῖχον οὐκ ἐτι πάντες, ἀλλ' οἱ συνετοὶ δοκοῦντες εἶναι μόνοι κτέ.* vides iam utroque loco aperte tria carminum convivalium genera discerni.²⁶⁾ tertium autem locum, qui exstat in Plutarchi quaest. sympos. I 1. 5, usque adhuc ad unum omnes falso interpretati esse videntur dicentes Plutarchum idem quod Dicaearchum et Artemonem statuere. sed totum locum apponere mihi liceat: *ἐπεὶ τοὶ καὶ τὰ σκολιά φασὶν οὐ γένος ἁσμάτων εἶναι πεποιημένων ἀσαφῶς, ἀλλ' ὅτι πρῶτον μὲν ἤδον ᾠδὴν τοῦ θεοῦ κοινῶς ἅπαντες μιᾷ φωνῇ παιανίζοντες, δεύτερον δ' ἐφεξῆς ἐκάστῳ μυρσίνης παραδιδομένης, ἣν αἴσακον οἶμαι διὰ τὸ ἄδειν τὸν δεξιόμενον ἐκάλουν, ἐπὶ δὲ τούτῳ λύρας περιφερομένης ὃ μὲν πεπαιδευμένος ἐλάμβανε καὶ ἤδεν ἁρμοζόμενος, τῶν δ' ἀμούσων οὐ προσιεμένων, σκολιὸν ὠνομάσθη τὸ μὴ κοινὸν αὐτοῦ μηδὲ ῥάδιον.* quem locum ad unum omnes, quod sciam, interpretati sunt ita, ut dicerent verbis *πρῶτον μὲν κτέ.* primum, *δευτέρον δὲ κτέ.* alterum, *ἐπὶ δὲ τούτῳ κτέ.* tertium significari carminum convivalium genus. ad *δευτέρον δέ* autem ex antecedentibus *ᾠδὴν ἤδον* suppleri iuebant (cf. Ilgen p. CLV).

²⁶⁾ Cur Ulrici l. c. II 378, Bode II 2 p. 456 adn. 2, Baehr in Paulyi encycl. s. v. *σκολιόν* tria scolorum genera distingui utroque loco contendant, non video.

sed perperam. duo enim tantummodo genera discernuntur, quoniam enuntiati constructio sic procedit: *ὅτι πρῶτον μὲν . . . ἦδον, δεύτερον δὲ ἐφεξῆς μυσσίνης παραδιδομένης καὶ ἐπὶ τούτῳ* (praeterea) *λύρας περιφερομένης ὁ πεπαιδευμένος ἐλάμβανε καὶ ἦδεν, σκολιδὸν ἄνομάσθη*. necessario autem verba sic esse construenda intellegitur inde, quod puncto post *ἐκάλουν* posito sententia a verbis *ἐπὶ δὲ τούτῳ* incipiens sensu iusto caret; nam et particula *ὅτι* deest, neque ea quae antecedunt possunt intellegi, quod sententia principalis '*σκολιδὸν ἄνομάσθη*' desideratur. accedit quod voce *ἐφεξῆς*, quae secundum Ilgenii aliorumque interpretationem non ad scolia, sed ad alterum carminum genus referenda est, aperte a Plutarcho ratio, qua in scoliis canendis utebantur, significatur, cum his pergat ille verbis: *ἄλλοι δὲ φασὶ τὴν μυσσίνην οὐ καθ' ἐξῆς βαδίζειν*. quae cum ita sint, luce clarius apparet Plutarchum vel, ut rectius dicam, auctorem, quem ille secutus est hoc loco, non cum Dicaeargo et Artemone facere, qui tradunt tria fuisse carminum convivalium genera: primum, quod ab omnibus simul, alterum, quod ab omnibus ex ordine, tertium, quod non ab omnibus, sed a doctissimo quoque ordinis respectu non habito cantatum sit.

Sed ut misso interim Plutarchi loco de Dicaearchi sententia — nam Artemonem Dicaearchi verba repetere patet — disputemus, vehementer dolendum est, quod ille afferre omisit, quae cuique generi carmina sint attribuenda, id quod sine dubio est gravissimum. qua de re primus disputavit Ilgen p. CLII sqq., cuius disputationis summa haec est: initium canendi fiebat paeane h. e. carmine in dei alicuius honorem, quem omnes uno ore canebant. alterum genus erat *ὑπὸ πάντων ἀδόμενον καθ' ἓνα ἐξῆς*, quo continebantur Stesichori, Simonidis aliorumque praestantissimorum poetarum carmina; in primis vero Anacreontis suspicatur Ilgen et alia eius generis odaria ad hos usus adhibita esse. quibus carminibus nomen fuisse opinatur *παροινλοῖς*. tertium denique genus fuisse scolia, quae a singulis non ex ordine, sed prout arbitrium convivatoris tulerit, cantata sint. quamquam Ilgenium hic sibi ipsum obloqui facile intelleges, si ea respexeris,

quae p. LXXI dixit: 'cansionum convivalium duo tantum refert Pollux genera, quorum alterum vocat *παροίγια ᾄσματα*, alterum *σκολιά*; sed addi possunt *παιᾶνες* et *κῶμοι*, ita, ut quattuor genera istorum carminum habeamus'. sed hac re, quae est levioris momenti, missa inquiramus, num Ilgen rem in universum recte explicaverit.

Ac conviviorum initio paeanem vel hymnum ab omnibus simul cantatum esse inter omnes constat, cf. Plut. l. c.: *πρῶτον μὲν ἦδον ᾄδῃν τοῦ θεοῦ κοινῶς ἅπαντες μιᾷ φωνῇ παιανίζοντες*. Athen. XIV 627 F: *ἀλλὰ μὴν οἱ ἀρχαῖοι καὶ περιέλαβον ἔθει καὶ νόμοις τοῦ τῶν θεῶν ὕμνου ᾄδειν ἅπαντας ἐν τοῖς ἐστιάσειν*²⁷). quid autem statuendum sit de altero et tertio carminum convivalium, quorum mentionem facit Dicaearchus, genere, multo difficilior est haec quaestio, cum ille ne uno quidem exposuerit verbo, quae carmina ad alterum illud genus pertinerent. quod si Ilgen affirmat *ᾄσματα παροίγια* ad alterum genus, scolia ad tertium referenda esse, haec mera est coniectura, quae iis locis, quos ille affert, non fulcitur. 'finitis', inquit, 'deorum laudibus convivator ei, qui primo loco accumbebat, citharam tradebat eumque iubebat aliquid canere; cf. schol. Aristoph. Nub. v. 1358 (1355): *ἐν τοῖς συμποσίοις κύκλω τοῖς ἐστιωμένοις ὁ ἐστιάτωρ διδοὺς λύραν ἐκέλευεν ᾄσαι ᾄδῃν*'. qui autem eo scholio explicantur versus hi sunt:

*πρῶτον μὲν αὐτὸν τὴν λύραν λαβόντ' ἐγὼ 'κέλευσα
ᾄσαι Σιμωνίδου μέλος, τὸν Κριόν, ὡς ἐπέχθη.*

²⁷) Iam Aleman dicit in frgm. 24 (Bergk.):

*Φοίναις δὲ καὶ ἐν θιάσοισιν
ἀνδρείων παρὰ δαιτυμόνεσσιν
πρέπει παιᾶνα κατάρχειν.*

Lacedaemoniorum morem describit Philochorus apud Athen. XIV 630 F: *ἔθος . . . ἂν δειπνοποιήσωνται καὶ παιανίσωσιν, ᾄδειν καθ' ἓνα Τυρταίων κρίνειν δὲ τὸν πολέμαρχον καὶ ἄθλον διδοῖναι τῷ νικῶντι κρέας*. cf. praeterea Plato Symp. 176 A, Xenoph. Symp. 2. 1, Plut. quaest. symp. VII 8. 4, Athen. V 179 D.

Qui loci primo aspectu vel maxime Ilgenii sententiae favere videntur; verbo enim κύκλω idem significatur, quod voce ἐξῆς apud Dicaearchum. sed collato scholio ad Aristoph. Vesp. v. 1222: τὰ σκόλι' ὅπως παραδέξῃ· ἐν κύκλω γὰρ ἦδον τὰ σκολιά, ἃ εἰσι παροίνιοι ᾠδαί, atque alio scholio ad eundem versum: ἀρχαῖον ἔθος ἐστιμώμενος ἄδειν ἀκολούθως τῷ πρώτῳ, εἰ πανύσαιτο τῆς ᾠδῆς, τὰ ἐξῆς· καὶ γὰρ ὁ ἐξ ἀρχῆς δάφνην ἢ μυρρίνην κατέχων ἦδε Σιμωνίδου ἢ Στησιχόρου μέλη ἄχρισ οὐ ἤθελε καὶ μετὰ ταῦτα, ᾧ ἐβούλετο, ἐδίδου οὐχ ὡς ἡ τάξις ἀπήτει. καὶ ἔλεγεν ὁ δεξάμενος παρὰ τοῦ πρώτου τὰ ἐξῆς, κάκεινος ἐπεδίδου πάλιν, ᾧ ἐβούλετο. διὰ τὸ πάντας οὖν ἀπροσδοκῆτως ἄδειν καὶ λέγειν τὰ μέλη, σκολιά εἴρηται διὰ τὴν δυσκολίαν, intellegitur ea Stesichori Simonidisque carmina, quae in conviviis canebantur, non ad alterum genus, quod Ilgenio appellare placuit παροίνια, sed ad scolia esse referenda (cf. scholium posterius), quae, si fides est habenda scholio priore loco allato, vulgo ordine orbiculato canebantur: fidem autem habendam esse docet locus Plutarchi supra allatus, qui item scolia ἐφεξῆς, docentque Aristoxenus et Phyllis, qui ea παρὰ μέρος ἐξῆς cantata esse affirmant. quae cum ita sint, apparet Ilgenii argumenta parum valida esse, et videndum est, num omnino fuerit alterum illud carminum convivialium genus.

Etenim quae erant carmina in conviviis cantata? praeter hymnos convivii initio ab omnibus simul cantatos valde adamabantur carmina Stesichori et Simonidis (Aristoph. Nub. v. 1356 et schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1222), deinde Alcaei (Aristoph. Vesp. v. 1234 cum schol.), Anacreontis aliorumque qui passim commemorantur poetarum lyricorum, denique selecta quaedam ex Homeri, Aeschyli, Euripidis aliorumque eius modi poetarum carminibus (Aristoph. Nub. vv. 1364 et 1371, schol. Aristoph. Nub. v. 1364). quo ex numero secernenda sunt nobis ea, quae sunt poetarum epicorum et tragicorum, nam profecto ne unus quidem locus exstat, quo haec carmina appellentur scolia. quae autem restant carmina lyrica, num quaeso quid reperiri potest, quo cogamur, ut ea in duo digeramur genera, quorum alterum

ab omnibus convivis ex ordine, alterum a nonnullis tantummodo cantatum sit? equidem nihil reperire possum. an tu serio putas carmen quoddam Alcaei vel Anacreontis ab omnibus potuisse cani, scolia autem in Harmodium, Admetum, Aiacem alia tantum a doctissimis? minime. itaque neque e re logica alterum illud poesis convivialis genus defendi potest, et, quod Ilgen de nomine 'παροίτια' ut illius generis proprio dixit, id iam satis superque refutasse nobis videmur (p. 50 sqq.).

Sed etiam alia ratione demonstrari potest, quae carmina fuerint scolia. etenim optima via, qua certum quoddam poesis genus cognoscatur eiusque natura recte explicetur, ea esse videtur, ut accurate inquiratur in ea huius generis carmina, quae nobis sunt servata, atque exploretur, quae sit eorum forma quaeque argumenta. quae cum ita se habeant, primum inquiramus in scolorum metra.

Quae Bergk collegit scolia triginta diversissimis sunt composita metris. quamquam notandum esse videtur in dimidia fere eorum parte unum idemque reperiri metrum. scolia enim, quae sunt apud Bergkium inde a primo usque ad quartum decimum, ad hanc normam sunt composita:

$$\begin{array}{cccccccc} - & \sim & -\sim & - & \cup & - & \cup & - & \sim \\ - & \sim & -\sim & - & \cup & - & \cup & - & \sim \\ \sim & - & \cup & - & \sim & - & & & \\ - & \sim & -\cup & - & \sim & - & \cup & - & \sim \Lambda. \end{array}$$

conferas exempli gratia scolium VII:

*εἶθ' ἐξῆν ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος
τὸ στῆθος διελόντ', ἔπειτα τὸν νοῦν
ἐσιδόντα, κλείσαντα πάλιν,
ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλως φρενί.*

idem autem metrum deprehenditur in Aristoph. Eccles. v. 938 sqq., ubi iuvenis quidam canit carmen, quod sine dubio ortum est ex imitatione scolii a nobis modo allati:

*εἶθ' ἐξῆν παρὰ τῆ νεᾶ καθεύδειν,
καὶ μὴ 'δει πρότερον διασποδῆσαι*

*ἀνάσιμον ἢ πρεσβυτέραν
οὐ γὰρ ἀνασχετὸν τοῦτό γ' ἔλευθέρω.*

de metro ipso C. O. Mueller, Hist. litt. Graec. I³ 317 adn. 120 sic disputavit: 'Die Hendekasyllaben beginnen mit einer gewissen Bequemlichkeit und Schlawheit; aber mit dem dritten Verse tritt durch den anapästischen Eingang ein lebhafter Aufschwung ein, der in dem anmuthigen Paare logaoedischer Reihen im Schlussverse sich in ein schönes Gleichgewicht schaukelt'. quibus adde quae R. Westphal (Metrik II⁹ 774) disputavit: 'In der älteren Skolienpoesie wurde eine mit 2 Phalaeceen beginnende tetrastichische Strophe, die wahrscheinlich auf die lesbische Lyrik oder Anacreon zurückzuführen ist zu einer oft wiederholten Form: Die ganze Strophe ist eurhythmisch eine Verbindung von 2 hexapodischen, 2 dipodischen und 2 brachykatalektischen tetrapodischen Reihen'. haec igitur Mueller et Westphal. sed iam quaeso conferas Athenaei (XIV 625 C) locum, ex quo comperimus Pythermum primum adhibuisse modulos Ionicos eosque in scoliis componendis: *φασὶ δὲ Πύθερμον τὸν Τήιον ἐν τῷ γένει τῆς ἁρμονίας ἀντὶ τοῦτῳ* (scil. τῷ Ἰαστὶ γένει) *ποιῆσαι σκαιὰ (σκολιά restituit Casaubonus) μέλη· καὶ διὰ τὸ εἶναι τὸν ποιητὴν Ἰωνικὸν Ἰαστὶ κληθῆναι τὴν ἁρμονίαν.* Pythermi deinde Athenaeus commemorat versum hunc:

οὐδὲν ἦν ἄρα τᾶλλα πλὴν ὁ χρυσός.

qui versus eandem formam metricam praebet, quam tredecim quae sequuntur in editione Bergkiana scolia, qua de causa iustae locus est suspicioni haec scolia omnia modulis Ionicis decantata esse. quae si vera sunt, tum non e Lesbiaca poesi haec strophae rependa est, id quod Westphal l. c. suspicatur, sed ex Ionum poesi, quod altero loco idem statuit, quamquam pro Anacreonte potius Pythermum huius strophae auctorem afferre debebat, quem ante Anacreontem vixisse²⁹⁾ probabile est.

²⁹⁾ Cf., quae de hac re paulo infra disputabimus.

Scolia XVII—XX exhibent binos versus logaoedicos non ita multum differentes a versu quarto scolorum, quae modo tractavimus. hoc enim eorum est schema:

$$\begin{array}{cccccccccccc} - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup \\ - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup \end{array} \approx \Lambda.$$

Scolium Timocreontis (Bergk PLG III³ 1204) duobus versibus²⁹⁾ continetur epitrito-trochaicis sic conformatis:

$$\begin{array}{cccccccc|cccccccc} \acute{\cup} & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup \\ \acute{\cup} & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup & - & \cup \end{array} \approx \Lambda.$$

Scolium XV stropham quae vocatur Alcaicam exhibet, scolium XVI constat e quattuor ordinibus logaoedicis ita dispositis:

$$\begin{array}{cccccccc} \cup & \acute{\cup} & \cup & \cup & - & \cup & - \\ & \acute{\cup} & - & - & \cup & \cup & - & \cup & - \\ \cup & \acute{\cup} & \cup & \cup & - & \cup & - \\ \cup & \acute{\cup} & \cup & \cup & - & \cup & - \end{array} \approx \Lambda.$$

Quinque scolia (XXI—XXVI), quae Praxillae poetriae ascribuntur, binos versus habent asclepiadeos maiores, atque eodem metro compositum est eademque fere ac Praxillae carmina continet sententias carmen illud Seleuci, τοῦ τῶν ἰλαρῶν ἁσμάτων ποιητοῦ (cf. Athen. XV 697 D):

*κἀγὼ παιδοφιλήσω· πολὺ μοι κάλλιον ἢ γαμεῖν·
παῖς μὲν γὰρ παρεὼν κῆν πολέμῳ μᾶλλον ἐπωφελεῖ.*

Scolium XXVII distichon, quod dicitur, elegiacum est. scolium XXVIII carmen est duarum stropharum, quarum utraque quinis versibus logaoedicis constat, itemque scolia XXIX et XXX versibus constant logaoedicis.

Ex his, quae modo exposuimus, iam apparere puto scolia ad certa quaedam metra astricta non fuisse idque tantummodo in iis componendis observatum esse, ut paucis versibus singula absolventur carmina. neque certam omnibus scoliis melodiam communem fuisse iam ex antiquae artis musicae indole apparet,

²⁹⁾ Dicendum potius scolium quattuor versibus constare. ego Bergkium secutus sum, qui duos tantum versus constituit.

quoniam non eadem potuit esse melodia in carminibus metris diversissimis compositis.

Ac ne pilo quidem accuratius, quam metra et moduli, definita erant argumenta, quae in scoliis tractabantur. qua de re videas quae Eustathius 1574, 14 tradidit: *μυρία δὲ τοιαῦτα (σκολία) περιφέρονται· τὰ μὲν σκωπτικά, τὰ δὲ πρὸς ἔρωτα, πολλὰ δὲ καὶ σπονδαία.* praeter ea conferas locos, quos p. 47 sq. attulimus³⁰⁾, et Zenobium I 18: *Ἀδμήτου μέλος· τὸ εἰς Ἀδμητον ἄδόμενον μέλος πένθιμον. . . . ἐκ τότε οὖν σκολιά καὶ πενθήρη πρὸς τὸν Ἀδμητον ἤδοντο μέλη, μέχρις ἂν ἡ Κόρη ἀνέπεμψεν Ἀληστίν* (cf. schol. Arist. Vesp. v. 1239), quo loco quasi in eodem genere ponuntur *σκολιά* et *πενθήρη μέλη*. porro si scolia, quae nobis servata sunt, respexeris, videbis contineri iis preces (1—5), facta praeclara carmine celebrata (9—14), sententias et praecepta paucis versibus expressa (7, 8, 15—26), alia, quae, sive cum Eustathio in tres distribuimus partes: scolia cavillatoria, amatoria, seria, sive cum Ilgenio facimus, qui scolia cavillatoria, amatoria, historica, mythica, precatória, moralia, politica, laudatoria, potatoria distinguit (p. CLXXVIII sq.), aperte demonstrant quodlibet argumentum potuisse tractari scoliis.

Videmus igitur neque metro vel melodia neque certis quibusdam argumentis scolia esse insignita ita, ut possint discerni his rebus ab aliis carminibus similibus. quid igitur faciendum? num desperandum est futurum esse, ut umquam explicetur scolorum vis ac natura? minime mea quidem sententia. hac enim ipsa re, quod scolorum prae ceteris carminibus convivalibus nihil proprium est, inducimur, ut sumamus et *παροίγια* et *σκολιά*, haec enim vulgo duo carminum potatoriorum statuuntur genera, scolorum nomine fuisse appellata. vides nos in disputando ad eandem pervenisse sententiam, quam ut amplecteremur, ante eramus coacti. facere autem non possum, quin hoc loco Grimii afferam verba

³⁰⁾ Addi potest locus Athen. X 427 D: *ἦν ἀπ' ἀρχῆς τὸ μὲν σπένδειν ἀποδεδομένον τοῖς θεοῖς, ὁ δὲ κότταβος τοῖς ἐρωμένοις . . . διὸ καὶ τὰ σκολιά καλούμενα μέλη τῶν ἀρχαίων ποιητῶν πλήρη ἐστίν.*

(l. c. p. 42), qui quamquam tantummodo quasi praeteriens egit de hac re, tamen verum praesagiisse videtur: 'cum scolia illa carmina dicerentur, quae ultimo loco inter scyphos nullo accubitionis ordine servato a doctissimo quoque ad lyram canerentur, cum praeter hoc unum nihil nobis traditum sit vel in argumenti natura vel in formae aut numerorum positum, quo scolia generaliter ab aliis carminibus, nisi haec ipsa, ut paeanes, certam aliquam notam habeant, discerni possint, facile apparet omne huius modi iudicium (scil. quod Ilgen fecit, qui *παροίγια* et *σκολιά* distinguenda esse dicit) lubricum esse et incertissimum, atque omnia fere carmina pro scoliis usurpari et cantari potuisse. equidem vehementer dubito, num scolia certum aliquod ac distinctum carminum convivalium genus fuerint.' quae rectissime se habere, partim iam sumus conati demonstrare, partim ex iis, quae modo disputaturi sumus, elucebit.

Etenim iam, cum scolorum nomen explicarem, suspicatus sum carmina vetustissima Aeolica cantilenas fuisse convivales et scolia appellata esse. quae res facile veterum potest comprobari testimoniis. ac primum quaeso Aristophanis versum inspicias ab Athenaeo XV 694 A servatum: ἄσον δὴ μοι σκολιὸν τι λαβὼν Ἀλκαίον ἢ Ἀνακρέοντος, deinde Aristotelis locum Polit. III 9. 5, qui haec habet: οἶον εἴλοντό ποτε Μιτυληναῖοι Πιττακὸν πρὸς τοὺς φηγάδας, ὧν προειστήκεσαν Ἀντιμενίδης καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητής. δηλοῖ δ' Ἀλκαῖος, ὅτι τύραννον εἴλοντο τὸν Πιττακὸν ἐν τινὶ τῶν σκολιῶν μελῶν· ἐπιτιμᾷ γὰρ ὅτι·

τὸν κακοπάτριδα

Πιττακὸν πόλεως τᾶς ἀχόλω καὶ βαρυδαίμονος

ἑστάσαντο τύραννον μέγ' ἐπαινέοντες ἀολλέες.

quod fragmentum Bergk recte quidem inter scolia (frg. 37 A p. 942) rettulit, sed a carminibus stasioticis separavit. quod num iure fecerit, dubito. erat enim μέλος simul στασιωτικόν et σκολιόν. neque vero alterum pendet ab altero. nam carminis argumentum significamus, si στασιωτικόν nominamus, sin σκολιὸν μέλος dicimus, carmen convivale esse indicatur. stasiotica autem in epulis cantata esse confirmatur Aristoph. Vesp. v. 1230 sqq:

ἐγὼ δέ γε,
 ἐὰν ἀπειλῆ, νῆ Δ' ἕτερον (scil. σκολιόν) ἄσομαι.
 ἄνθρωπ' οὔτος ὁ μαιόμενος τὸ μέγα κράτος,
 ἀντρέψεις ἔτι τὰν πόλιν, ἃ δ' ἔχεται ῥοπαῶς.

quos ad versus scholiasta haec adnotavit: ἄνθρωπ' οὔτος ὁ μαιόμενος· παρὰ τὰ Ἄλκαλον· ἄνηρ οὔτος ὁ μαιόμενος τὸ μέγα κράτος, ἀντρέψει τάχα τὰν πόλιν· ἃ δ' ἔχεται ῥοπαῶς. ἀντὶ τοῦ ζητῶν μέγα κράτος· οὔτω δ' Αἰολεῖς. et ad vers. 1235: ἀνατρέψεις· ἀνατρέψεις ταχέως τὴν πόλιν, ἣτις πρὸς τοῦτο ῥέπει. ἐκ τῶν Ἄλκαλον δὲ παρωθεῖ εἰς Κλέωνα ὡς μαιόμενον. unde apparet ea quoque carmina, quae *στασιωτικά* vocantur a grammaticis, scolia et fuisse et appellata esse. nonne vero id certissimum argumentum est totam poesim veterem Aeolicam olim fuisse convivalem, ita ut carmina scolorum nomine possent significari? qui autem poesis melicae fragmenta edenda curaverunt, partim veterum grammaticorum exempla secuti, partim suo arbitrio plura genera constituerunt: *παροῖνια*, *συμποτικά*, *ἔρωτικά* alia; et recte quidem, modo teneamus his nominibus argumenta tantum carminum significari, uno autem posse comprehendere eius modi carmina convivialia nomine i. e. nomine scolorum³¹⁾.

Sed etiam apud alias Graeciae gentes hic illic carmina convivialia in universum scolia appellata esse manifestum fit Antiphanis verbis apud Athen. XV 695 F:

Ἄρμόδιος ἐπεκαλεῖτο, παιὰν ἦδετο,
 μεγάλην Διὸς σωτήρος ἄκατον ἦρέ τις.

quibus versibus veri simile fit scolium. illud celeberrimum in Harmodium etiam ut paeanem cantatum esse. nam scolia ab omnibus etiam simul cantata esse ut paeanes tradit Clem. Alex. 72, 3 S: *σκολιδὸν ἦδετο κοινῶς ἀπάντων ἅμα φωνῆ παιανίζοντων*. conferatur etiam Athen. I 23 E: *Θεόπομπος*

³¹⁾ Quae, cum ita sint, apparet Ilgenium falsum esse dicentem p. CXCVI pessime egisse Nauzeum, quod Alcaei carmina inter scolia rettulisset.

ἐπίνομεν μετὰ ταῦτα
κατακείμενοι μαλακώτατ' ἐπὶ τρικλινίῳ
Τελαμῶνος οἰμάζοντες ἀλλήλοισ μέλη.

ubi Τελαμῶνος μέλη sunt scolia in Telamonem et Aiacem cantata (scol. 17 et 18 Bergk). atque idem colligi posse videtur e Plat. Gorg. 451 E: οἶμαι γάρ σε ἀκηκοέναι ἐν τοῖς συμποσίοις ἄδόντων ἀνθρώπων τοῦτο τὸ σκολιόν, ἐν ᾧ καταριθμοῦνται ἄδοντες, ὅτι ὑγιαίνειν μὲν ἀριστόν ἐστι κτέ., unde apparet omnes convivas simul illud scolium cantasse. porro nonne mirum in modum quinque scolia, quae ab Athenaeo primo loco afferuntur, cum hymnis concinunt? quis autem haec carmina scolia esse contenderet, nisi forte fortuna ab Athenaeo inter cetera scolia afferrentur? quamquam enim hae cantiunculae differunt ab hymnis qui vulgo dicuntur eo, quod breviores sunt, tamen quin ab omnibus simul cantatae sint, nullo pacto dubitari potest.

Denique si demonstrari potest vel carmina convivalia elegiaca inter scolia numerata esse, non amplius licet dubitare, quin quodlibet carmen lyricum in symposiis cantatum appellatum sit scolium. atque inter scolia ab Athenaeo servata hoc reperitur distichon elegiacum:

ἔγχει καὶ Κήδωνι, διάκουε, μηδ' ἐπιλήθου,
εἰ δὲ χοῆς ἀγαθοῖς ἀνδράσιιν οἰνοχοεῖν.

falso enim Ilgen p. 95 descripsit huius carminis metrum, quamquam paulo post (p. 97) de ea re dubitans ipse haec adiecit: 'quoties certo lego Athenaei textum, toties aures meae in numerum elegiacum inclinant.' primus autem e libris manuscriptis distichi formam restituit Dindorf in editione Athenaei a se curata. ac distichon carminum melicorum instar cantari potuisse colligitur ex Athen. XIV 620 C, quamquam hoc loco non de carminibus convivalibus agitur: Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ περὶ Στησιχόρου καὶ μελωδηθῆναι φησιν οὐ μόνον τὰ Ὀμήρου, ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου. Κλέαρχος δ' ἐν τῷ προτέρῳ περὶ γρίφων τὰ Ἀρχιλόχου, φησίν, ὁ Σιμωνίδης ὁ Ζακύνθιος ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ δίφρου καθήμενος ἐρραψάδει

*Λυσανίας δ' ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἰαμβοποιῶν Μνασίωνα τὸν ἑξαψφ-
δὸν λέγει ἐν ταῖς δειξέσει τῶν Σιμωνίδου τινὰς ἰάμβων ὑποκρί-
νεσθαι. et ib. XIV 619 B: ἤδοντο δὲ Ἀθήνησι καὶ οἱ Χαράωνδου
νόμοι παρ' οἶνον, ὡς Ἐρμιππὸς φησιν ἐν τῷ ἔκτῳ περὶ νομο-
θετῶν³²).*

Quibus ex locis videmus etiam carmina elegiaca, iam-
bica, alia iustis modulis decantata esse in symposiis, quae car-
mina scolia nonnumquam appellata esse testis est scolium XXVII.
recte igitur statuit Welcker affirmans etiam in Theognidis car-
minibus, qualia nunc habemus, inesse scolia³³). apte enim partes
quaedam selectae e poetae Megarensis elegiis cani poterant in
conviviis (cf. Welcker in prolegg. ad Theogn. edit. p. XCVII sq.).
ac de symposiaca elegia scripserunt Fr. Osann in Symbol. ad
histor. litt. Graec. et Lat. I p. 38 sqq. et Nicol. Bach 'De sym-
posiaca Graecorum elegia' in programme Fuldensi 1837, qui,
quamquam nihil conferunt ad nostram rem, tamen in eo con-
sentiunt, quod scolia ipsa, quamquam proprie ad Aeolicum μέλος
referantur, tamen nonnumquam elegiacam quoque induisse formam
statuunt. quae cum ita sint, iam dubium non esse videtur, quin
omnes illae breves cantilenaе convivales, quae primum ab Ae-
olibus excultae postea a ceteris quoque gentibus Graecis adamatae
sunt, scolia sint habenda et appellanda.

At, dicat aliquis, quid de Dicaearchi sententia iudicandum
est? num tu fictum esse statuis, quod ille de scoliis a peritis-
simo quoque nullo ordinis respectu habito cantatis dixit? nequa-
quam, sed putaverim Dicaearchi explicationem ad posteriora re-

³²) cf. Plut. de mus. 8: ἐν ἀρχῇ ἐλεγεία μεμελοποιημένα οἱ ἀνθρώποι
ἤδον et Theogn. v. 239 sqq.:

..... θούνης δὲ καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσση
ἐν πάσαις, πολλῶν κείμενος ἐν στόμασιν.
καὶ σε σὺν ἀλλήλοισι λιγυφθόγοις νέοι ἄνδρες
εὐκόσμως ἔρατοὶ καλὰ τε καὶ λιγέα
ἄσονται.

³³) De Theognidis scoliis conferas etiam, quae disputavit Leutsch,
Philol. XXX p. 218.

ferendam esse tempora, quibus, quin revera scolia modo illo artificioso cantata sint, non est quod dubitemus. quae res ut clarius demonstraretur, inspiciamus locum unicum, quo scolia a singulis convivis cantata proferuntur. exstat autem apud Aristophanem in Vesp. v. 1220 sqq., ubi convivii legitur descriptio, in quo scolia canuntur. sed cum summum huius loci videatur esse momentum, eum integrum exscribam:

ΒΔΕ. ἀύλητροίς ἐνεφύσησεν. οἱ δὲ συμπόται
εἰσὶν Θέωρος, Αἰσχίνης, Φανός, Κλέων,
ξένος τις ἕτερος πρὸς κεφαλῆς Ἀκέστορος.
τούτοις ξυνὼν τὰ σκόλι' ὅπως δέξει. **ΦΙΛ.** καλῶς.

ΒΔΕ. ἄληθεις; **ΦΙΛ.** ὡς οὐδεὶς Διακρίων δέξεται.

ΒΔΕ. ἐγὼ εἶσομαι· καὶ δὴ γάρ εἰμ' ἐγὼ Κλέων,
ἄδω δὲ πρῶτος Ἀρμοδίου· δέξει δὲ σύ.
οὐδεὶς πάποτ' ἀνὴρ ἔγεντ' Ἀθήναις —

ΦΙΛ. οὐχ οὕτω γε πανοῦργος (οὐδὲ) κλέπτῃς —

ΒΔΕ. τοῦτ' ἐν δράσει; παραπολεῖ βοῶμενος·
φήσει γὰρ ἐξολεῖν σε καὶ διαφθερεῖν
καὶ τῆσδε τῆς γῆς ἐξελαῖν. **ΦΙΛ.** ἐγὼ δέ γε,
ἐὰν ἀπειλῇ, νῆ Δί' ἕτερον ἄσομαι.
ἄνθρωπ', οὗτος ὁ μαιώμενος τὸ μέγα κράτος,
ἀντρέψεις ἔτι τὰν πόλιν· ἃ δ' ἔχεται ῥοπαῖς.

ΒΔΕ. τί δ', ὅταν Θέωρος πρὸς ποδῶν κατακείμενος
ἄδη Κλέωνος λαβόμενος τῆς δεξιᾶς·
Ἀδμήτου λόγον, ὦταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
τούτω τί λέξεις σκολιόν, **ΦΙΛ.** φθικῶς ἐγὼ,
οὐκ ἔστιν ἀλωπεκίξιν,
οὐδ' ἀμφοτέροισι γίγνεσθαι φίλον.

ΒΔΕ. μετὰ τοῦτον Αἰσχίνης ὁ Σέλλου δέξεται,
ἀνὴρ σοφὸς καὶ μουσικός· κἄτ' ἄσεται·
χρήματα καὶ βίον
Κλειταγόρα τε καὶ —
μοὶ μετὰ Θετταλῶν —

ΦΙΛ. πολλὰ δὴ διεκόμπασας σὺ κἀγώ.

Quo ex loco apparere dicit Ilgen hunc fuisse scolorum recitandorum morem (p. CLX sqq.): qui primo loco accumbebat, cantabat scolium, quo finito citharam tradebat alii ex convivantibus nullo ordinis respectu habito, qui *idem argumentum tractabat variatis verbis et sentiis*, iisdem tamen, si fieri poterat, numeris; hic tertio, cui volebat, citharam tradebat ex ordine, et sic fieri poterat, ut quinquies, sexies ac vel decies scolorum orbis instauraretur. haec fere Ilgen. sed mihi iterum atque iterum Aristophanis locum tractanti non contigit, ut tale quid elicerem. num enim Ilgen fortasse putavit vocem *δέχεσθαι* in versibus 1222 et 1243 significare 'scolia recipere ita, ut idem tractetur argumentum variatis tantummodo verbis?' an ad illam sententiam adductus est versu: *οὐδεις πάποι' ἀνήρ ἔγενε' Ἀθήναις*, quo continuari putabat scolium in Harmodium modo cantatum? sed licet concedatur hunc versum ad Harmodium spectare, tamen non sequitur hanc principalem cantionum formam fuisse; nam subsequitur statim Alcaei scolium, quod neque eodem metro neque de eodem argumento compositum est, quo Harmodii scolium. porro num tu dubitabis Ilgenii explicationem verbi *δέχεσθαι* abicere, si versum 1243 inspexeris? nam Aristophanes Aeschinem cantum excepturum esse dicit et carmen ipsum, quod cantaturus est Aeschines, affert. at num eodem metro compositum est carmen illud, num eo idem tractatur argumentum quod scolio antecedente?

Sed iam totius loci contextum consideremus. filius igitur patri primum cuiusdam scolii versum dicit, pater autem non idem scolium recitat, sed alius scolii verba, quibus scolii sententia ridiculum in modum immutatur. atque eodem utique modo versus 1245—1248 explicandi sunt. contra autem vv. 1236—1243 Theorus totum scolium cantans³⁴⁾ fingitur, ad quod Philocleo alio scolio respondet. iam si quis quaerat, quae

³⁴⁾ Quamquam enim primum tantum versum recitat, tamen totum scolium eum cantasse tibi fingas oportet, quod non ad primum versum, sed ad totius scolii sententiam respondet Philocleo.

redundent ex hoc loco, haec sunt. antiqua scolorum vis ac natura etiam e poetae comici verbis perspicitur. nam convivarum unusquisque carmen, quodcumque vult, canit nullis metri, argumenti, recitandi ordinis astrictus legibus. neque tamen Aristophani in animo fuit accurate describere, quo modo scolia vulgo cantarentur, sed facete scolia singula quodam modo cohaerentia finxit ita, ut alterum alterius responsum contineret vel ut prioris scoli versus primus continuaretur verbis posterioris scoli. qua in re quamquam huius loci vis comica inest, tamen nihil, quod scolorum proprium ac peculiare fuerit, profertur. iure igitur Ulrici l. c. II 379 adn. 232 negat scolia inter se cohaesisse, id quod opinatur Ilgen, atque ita pergit: 'Wenn trotzdem so etwas vorkam, so ist es nur ein Spiel des Scharfsinnes (wie Aristoph. Vesp. 1220)'.

Sed etiam inter scolia ipsa servata quaedam repperisse sibi visus est Ilgen, quae suam confirmarent opinionem, dico scolia in Harmodium Aristogitonemque et Aiace. ac scolia in Harmodium ille (p. CLXVI) ita cantata esse putat, 'ut secundum scolum (i. e. stropham alteram) ab alio cantum a primo excipiente (*δεξαμένω*) et tertium (i. e. tertiam stropham) ab eo, ad quem a secundo canendi officium delatum erat, ad imitationem primi tum in re tum in numero adiectum esse putandum sit', et opinatur ea tantummodo scolia posse dici perfecta, quae varias eiusdem sententiae exornationes exhibeant, quod de scoliis in Harmodium esse statuendum.

Sed antequam inquiremus, quid ex scolio in Harmodium de scolorum natura in universum redundet, scolum illud ipsum accuratius tractemus, quod quo facilius procedat, totum mihi carmen liceat apponere:

*Ἐν μύρτου κλαδί τὸ ξίφος φορήσω,
ὡσπερ Ἀρμόδιος καὶ Ἀριστογέλτων,
ὄτε τὸν τύραννον κτανέτην,
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποίησάτην.*

*Φίλτατ' Ἀρμόδι', οὐ τί που τέθνηκας,
νήσοις δ' ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι,
ἵνα περ ποδώκης Ἀχιλεὺς,
Τυδαΐδην τέ φασιν ἐσθλὸν Διομήδεα.*

*Ἐν μύρτου κλαδί τὸ ξίφος φορήσω,
ᾧσπερ Ἀρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων,
ὄτ' Ἀθηναίης ἐν θυσίαις
ἄνδρα τύραννον Ἴππαρχον ἐκαινέτην.*

*Αἰεὶ σφῶν κλέος ἔσσεται κατ' αἶαν,
φίλτατ' Ἀρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων,
ὅτι τὸν τύραννον κτανέτην,
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποίησάτην.*

Cuius carminis unam tantum stropham Ilgen opinatur potuisse condi a poeta Callistrato, quem auctorem carminis esse scimus ex Hesychio s. v. *Ἀρμόδιου μέλος* τὸ ἐπὶ Ἀρμόδιῳ ποιηθὲν σκολιδὸν ὑπὸ Καλλιστράτου οὕτως ἔλεγον, primum quod in nullo scolio plures fuerint strophae (cf. p. 59), deinde propter argumentum scolii ipsum. 'quae', inquit, 'huius scolii habentur a viris doctis strophae tertia et quarta, eae sunt imitationes primi scolii, vel quae esse putatur, strophae primae. quis enim ferret carmen per plures strophas deductum non plus quam unam sententiam tractans et in verbis tantum nonnihil variatum?' quod si Ilgen opinabatur omnia scolia fuisse monostropha, egregie falsus est. quamquam enim carmina convivalia plerumque brevia fuisse consentaneum est, tamen plures etiam in singulis fuisse strophas demonstrari potest scolio XXVIII (B), quod e duabus strophis constare omnes viri docti consentiunt. deinde qui, quae, potest afferri veterum locus, quo ex una tantummodo stropha scolia constitisse tradatur? multo autem rectius observata sunt, quae de carminis argumento protulit Ilgen. neque enim quemquam fugere potest primae strophae versus duo priores in tertia, posteriores in quarta repeti stropha, deinde prima stropha idem quod tertia, altera idem quod quarta dici

nemo non videt. quibus rebus Bergk commotus esse videtur, ut Ilgenium secutus quattuor in Harmodium scolia distingueret, contra Fritzsche (quaest. Aristoph. p. 50 sqq.), Schneidewin, Hartung unius scolii formam servaverunt (cf. etiam Grim p. 48 adn. 24).

Iam qui carmen in quattuor distribuunt scolia, dubitant, quam stropham principalem huius scolii formam quasque imitatione expressas esse putent. ac Bergk quidem Ilgenium secutus principem cantilenam fuisse censet scolium alterum, cum scholiasta ad Aristoph. Acharn. v. 980 haec adnotet: *ἐν ταῖς τῶν πότων συνόδοις ἤδόν τι μέλος Ἀρμοδίου καλούμενον, οὗ ἡ ἀρχὴ φίλταθ' Ἀρμόδι', οὗ τί που τέθνηκας.* sed minime manifestum est verba οὗ ἡ ἀρχὴ ad omnia simul, id quod opinatur Bergk, referenda esse carmina, immo probabilius est scholiastam alterum tantum carmen respexisse. id quod comprobatur etiam eo, quod simili modo schol. Aristoph. Lys. v. 632 verbis *ἐκ τοῦ σκολιοῦ* primum tantum significavit carmen. quo loco simul evincitur primam stropham Aristophani notam fuisse. alterius autem strophae Aristophanes altero quoque Acharnensium loco (v. 1093) mentionem iniecit, ubi inter res ad cenam necessarias saltatrices commemorantur, quas poeta *τὰ φίλταθ' Ἀρμοδίου* dicit scolii illius verbis lepide in usum suum conversis. Aristophanis igitur temporibus duas minimum strophas exstitisse apparet.

Sed, ut haec mittamus, stropham, quam primo posuimus loco, revera principem atque ab ipso Callistrato compositam esse iam eo mihi quidem evinci videtur, quod primum ei assignavit locum Athenaeus. adde quod ita comparata est ea strophā, ut, si eam cum ceteris contuleris, primariam eam fuisse facile concedas. quam ob rem non dubito, quin Hesychni verba s. v. *Ἀρμοδίου μέλος* ad hanc stropham sint referenda. quod si necum statueris, iam quo modo ceterae ortae sint strophae, sic fere explicari potest. principi strophae nescio quis alteram adiecit, qua Harmodium laudibus extolleret. deinde tertius quartam et Harmodii et Aristogitonis laudes continentem addidit, quam ut conecteret cum prima et secunda, tertiam inseruit, qua primam

aliquantum variatam repetiit. simul vero id egisse videtur, ut binis, quae iam exstabant, strophis binas opponeret. sic ex uno quattuor facta sunt carmina ita disposita et conexas, ut unum efficere viderentur poema ex duabus binarum stropharum compositum partibus.

Quod si Ilgen opinabatur hoc solo in scolio scolorum naturam posse cognosci in eo sitam, ut idem ab unoquoque conviva tractaretur argumentum immutatis tantum verbis ac sententiis, falsus est. nam in scoliis poetarum Aeolicorum, qui primi hoc poesis genus excoluerunt, tale quid reperiri nequit, et si concedimus scolium in Harmodium eo modo, quo Ilgen vult, cantatum esse, num id ad scolorum naturam pertinuisse statuendum est? nonne libero convivantium arbitrio relictum erat, utrum ille, qui in canendo sequeretur primum, idem tractaret argumentum necne?

Simili modo iudicandum est de scoliis in Aiace, quorum tria exstare opinio est:

*καὶ Τελαμῶνος, Αἴαν ἀίχμητά, λέγουσί σε
ἐς Τροίαν ἄριστον ἐλθεῖν Δαναῶν μετ' Ἀχιλλέα.*

deinde:

*τὸν Τελαμῶνα πρῶτον, Αἴαντα δὲ δεύτερον
ἐς Τροίαν λέγουσιν ἐλθεῖν Δαναῶν καὶ Ἀχιλλέα³⁵.*

denique Alcaei versum huc spectare putant commemoratum ab Hephaestione 61:

*Κρονίδα βασίλῃος γένος Αἴαν, τὸν ἄριστον πέδ' Ἀχιλλέα
(φαῖσιν ἐς Τροίαν τῶν Δαναῶν ἐλθεμεν supplevit Bergk,
ἐς Τροίαν λέγουσιν ἐλθεῖν Δαναῶν μετὰ Hartung)*

sane mirandum est omnes viros doctos conclamare hos versus, quod ad sensum attineat, variationes unius eiusdemque rei esse. nam in prima strophā Aiace post Achillem fortissimum virum inter Danaos fuisse poeta dicit, in altera autem narratur Tela-

³⁵) Sic codices praebent. quo autem iure Bergk scripserit *μετὰ*, equidem non perspicio.

monem in prima, Aiacem et Achillem in secunda expeditione Troiana interfuisse. quae quidem scolia arte cohaerere non potest negari, sed idem in utroque non dici nemo non videt. quod autem ad versum Alcaei attinet, omnino pro certo statui nequit, utrum e scolio duorum versuum sit desumptus necne. nam haec sententia ex Homeri Il. B 768 deprompta est:

*ἀνδρῶν δ' αὖ μέγ' ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας,
ἄφρ' Ἀχιλλεύς μῆνιεν· ὁ γὰρ πολὺ φέρετατος ἦεν.*

quam etiam longiori cuidam carmini inserere potuit Alcaeus vel hymno vel scolio. quam ob rem dubitari potest, num recte fecerint Bergk et Hartung unum tantum versum ad analogiam scolorum illorum supplentes. sed utut res se habet, nihil illa scolia conferunt ad Ilgenii opinionem confirmandam.

Age nunc redeamus, unde orsi sumus. etenim supra diximus scolorum canendorum morem, qualem Dicaearchus describit, posteriorum demum temporum fuisse, neque ullam omnino esse causam, cur eam rem fictam et Dicaearchi commentum putemus. nam ex Aristophanis loco, quem modo tractavimus, colligi potest eius aetate scolia, quamquam non semper eodem modo quo ille finxit, tamen artificiosius recitata esse quam antiquitus. porro si reputamus scoliis in epularum fine fuisse locum, quem postea obtinuerunt aenigmata, griphi, alii lusus his similes, facile patet scolia, qualia describuntur a Dicaearcho, quasi praenuntia illius poesis fuisse, quo factum est, ut carmina illa simplicia olim ab Alcaeo et Anacreonte cantata propter recitandi modum difficilia evaderent atque a peritissimis tantum canerentur hominibus. de aenigmatibus autem conferas ea, quae Plutarchus (Quaest. symp. V init.) disputat, qui in epularum fine aenigmata et similia proponi solere diserte tradit. quibus adde quae Athenaeus exposuit X 448 B—459 C.³⁶⁾ iam si respexeris, quae dicit Athen.

³⁶⁾ De hoc argumento scripserunt praeter alios: F. Morawski, de Graecorum poesi aenigmatica. diss. inaug. Monast. 1862, J. Ehlers, *Ἀνιγμα καὶ γρίφος*. diss. inaug. Bonnæ 1867. idem, de Graecorum aenigmatibus et griphis progr. Prenzlav. 1875.

X 457 E: *ἀλλὰ μᾶλλον τὰς τοιαύτας τῷ πρώτῳ ἔπος λαμβεῖον εἰπόντι τὸ ἐχόμενον ἕκαστον λέγειν, καὶ τὸ κεφάλαιον εἰπόντι ἀνταπεινὸν τὸ ἐτέρου ποιητοῦ τινος, εἰ τὴν αὐτὴν εἶπε γνώμην· ἔτι δὲ λέγειν ἕκαστον λαμβεῖον κτέ*, nonne similes tibi videbuntur hi lusus scoliis, si ea ita, ut Dicaearchus tradit, canebantur? itaque recte Hartung in 'Diar. antiqu. litt.' N. S. IV 559 haec adnotavit: 'Der Einzelgesang war keine Erfindung der Athener, aber die Verwebung dieser Gedichte zu einer Art dramatischen Bezuges, so dass immer das, was der Nächste sang, als Antwort auf den Gesang des Vorgängers gelten konnte, war eine Erfindung der attischen Feinen'.

Facile autem fieri potuit, ut ob hunc canendi morem scolia Attica dicerentur, cf. Athen. XV 693 F: *ἐμέμνητο δὲ οἱ πολλοὶ καὶ τῶν ἀττικῶν ἐκείνων σκολιῶν*, et Dio Chrysostom. II p. 95 R: *ἡ γὰρ νῆ Δία τὰς τῶν ἀττικῶν σκολιῶν τε καὶ ἐποιώων εὐχὰς οὐ βασιλευσί προπούσας, ἀλλὰ δημόταις καὶ φράτορσιν ἱλαροῖς καὶ σφόδρα ἀνειμένοις*. itaque quod ab Atticis simplex ille canendi modus novabatur, factum est, ut scolia Aeolica postea Attica appellarentur. et scolia Athenis valde adamata esse intellegitur inde, quod etiam in prytaneo scolia inter cenam canebantur, id quod tradidit scholiasta ad Plat. Gorg. 451 E: *Ἀθήνησιν ἐν τῷ πρυτανείῳ παρὰ πότον σκολιὰ ἤδετο εἰς τινὰς, ὥσπερ εἰς Ἀρμόδιον, Ἀδμητον, Τελαμῶνα*, cf. Eustath. 326, 36: *Ἀδμήτου σκόλιόν τι ἐν Ἀθήναις ἦν ἀδόμενον*. minus recte autem Grim p. 10 explicat, cur scolia appellata sint Attica, his verbis: 'haud scio an ex eo haec appellatio nata sit, quod Attici, qua erant elegantia et urbanitate, scolorum amantissimi in eisque componendis facile principes essent, eoque in omni scolio, quod quidem hoc nomine dignum esset, eadem illa Attica urbanitas et elegantia requireretur.'

Quo modo quibusque adiumentis adhibitis scolia cantata sint, optime edocemur a veteribus scriptoribus. atque ad lyrae vel citharae sonum ea carmina recitata esse tradunt Plut. Quaest.

symp. I. 1. 5, schol. Arist. Vesp. v. 1239, Phot. bibl. 321. 3, ubi *βάρβιτον* pro lyra commemoratur, Pollux Onom. VI 108, Isidor. Pelus. II ep. 146, alii permulti. sed lyram non semper adhibitam esse et pro ea myrti vel lauri frondem canentes in manibus habuisse intellegitur ex his locis: Hesych. s. v. *μυρρίνης κλάδος ἢ δάφνης· παρὰ πότον μυρρίνης . . .* (suppl. *κλῶνα* vel *κλάδου*) *ἦν σύνηθες δίδουαι τοῖς κατακειμένοις ἐκ διαδοχῆς ὑπὲρ τοῦ ἄσαι ἀντὶ τοῦ βαρβίτου*, idem s. v. *ἄδειν πρὸς μυρρίνην· ἔθος ἐν τοῖς συμποσίοις τὸν μὴ δυνάμενον ἄσαι* (scil. *πρὸς λύραν*) *δάφνης κλῶνα ἢ μυρρίνης λαβόντα πρὸς αὐτὴν ἄδειν*, id. s. v. *τὴν ἐπιδειξιάν· περιέφερον ἐν τοῖς συμποσίοις ἐπὶ δεξιὰ τὸ πάλαι κιδάραν, εἶτα μυρρίνην, πρὸς ἣν ἦδον*, Clemens Alex. 72, 3 S: *οἱ δὲ μουσικώτεροι καὶ πρὸς λύραν ἦδον* (scil. *τὰ σκολιά*), Aristoph. schol. Vesp. v. 1222, Tzetzes de comoed. v. 88, schol. Plat. Gorg. 451 E: unde factum est, ut in proverbii³⁷⁾ consuetudinem venirent verba *πρὸς μυρρίνην ἄδειν*, cf. schol. Arist. Vesp. v. 1239: *Ἀριστοφάνης ἐν Πελαργοῖς*

*ὁ μὲν ἦδεν Ἀδμήτου λόγον πρὸς μυρρίνην,
ὁ δ' αὐτὸν ἠνάγκαζεν Ἀρμοδίου μέλος.*

sed ad tibiam etiam cantata esse scolia conicias e schol. Arist. Vesp. v. 1239, ubi Cratini versus affertur *ἐκ Χειρώνων* (fr. 10 Mein.) hic:

Κλειταγόρας ἄδειν, ὅταν Ἀδμήτου μέλος ἀύλῃ.

Frondem autem illam myrteam vel lauream, de qua iam supra sermo fuit, appellatam esse *αἶσακον* tradunt Hesych. s. v. *αἶσακος· ὁ τῆς δάφνης κλάδος, ὃν κατέχοντες ὕμνον τοὺς θεούς*, Suid. s. v., Zonar. I 72. quod nomen Plutarchus quamvis pingui Minerva explicat his verbis l. c.: *μυρρίνης παραδιδόμενης, ἦν αἶσακον, οἶμαι διὰ τὸ ἄδειν τὸν δεξιόμενον, ἐκάλουν*. aliae huius nominis formae sunt *αἶσεχλος· κλάδος δάφνης* apud Hesychium et *αἶσεχος* apud Suidam, quamquam utroque loco, num genuina sit ea forma, dubitari potest.

³⁷⁾ cf. Zenob. I 19, ubi vide interpretes Gottingenses.

Cur myrteam frondem gestaverit, qui forte canebat, docere studet Dicaearchus apud schol. Arist. Nub. v. 1364: *Δικαίταρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων· ἔτι δὲ κοινόν τι πάθος φαίνεται συνακολουθεῖν τοῖς διερχομένοις εἴτε μετὰ μέλους εἴτε ἄνευ μέλους, ἔχοντάς τι ἐν τῇ χειρὶ ποιεῖσθαι τὴν ἀφήγησιν· οἳ τε γὰρ ἄδοντες ἐν τοῖς συμποσίοις ἐκ παλαιᾶς τινος παραδόσεως κλῶνα δάφνης ἢ μυρρίνης λαβόντες ἄδουσιν.*³⁸⁾

Poculum etiam circumlatum esse inter scolorum recitationem, cui nomen erat ῥόδός, testatur Athen. XI 503 E: *Ῥιόδός· οὕτως ἐκαλεῖτο τὸ ποτήριον, φησὶ Τρύφων ἐν τοῖς Ὀνοματικοῖς, τὸ ἐπὶ τῷ σκολιῷ διδόμενον, ὡς Ἀντιφάνης παρίσθησιν ἐν Διπλασίοις (fr. 1 Mein.):*

*τί οὖν ἐνέσται τοῖς θεοῖσιν; Β. οὐδὲ ἐν,
ἀν μὴ κεράση τις. Α. ἔχε τὸν ῥόδον, λάμβανε.
ἔπειτα μηδὲν τῶν ἀπηρχαιωμένων
τούτων περάνης, τὸν Τελαμῶνα, μηδὲ τὸν
παιῶνα, μηδ' Ἀρμόδιον.*

cuius vocis explicandae periculum facit Eustathius 868, 21: *μέλη δὲ διὰ τοῦ ἤτα κατὰ θῆλυ γένος ποτηρίου εἶδος ἦν, ὡς ἐν τοῖς Ἀθηναίοις φέρεται, καὶ ἴσως παρὰ τὸ μέλος, ὃ δηλοῖ τὴν ῥόδην· ἐπεὶ καὶ ῥόδός παρὰ τῷ αὐτῷ ποτηρίῳ τι.*

Lyræ, myrti, poculi mentionem consociatam reperimus apud Pollucem in Onomast. VI 108: *καὶ παροιμία δὲ ἄσματα ἦν καὶ σκολιά· καὶ μυρρίνην ἐπὶ δεξιὰ περιφέροντες τινες καὶ ἔκπωμα καὶ λύραν ἄδειν ἠξίου.*

³⁸⁾ Falsus est Ilgen p. CI. dicens scholiastam ad Aristoph. Lysistr. v. 632 morem myrtei rami gestandi repetendum esse ducere a myrto Harmodii et Aristogitonis, qua gladium condidissent, idque non esse veri dissimile. nam loco ab Ilgenio allato tale quid inesse quis quaeso credat? est autem scholium hoc: *πρὸς τὸ κομμάτιον, ὅτι ἐκ τοῦ σκολιοῦ ἔστιν ὅτι ἐν μυρρίνῃ κλάδῳ τὸ ξίφος φορέσομεν (scr. φορήσομεν), ὡς περὶ Ἀρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων. οὗτοι γὰρ ἀπὸ τῶν μυρρίνων κλάδων τὰ ξίφη ἀνασπάσαντες τὸν τύραννον κατέβαλον.*

IV. De scolorum poetis.

Quoniam de scolorum origine, nomine, vi ac natura satis superque dictum esse puto, restat, ut brevi in conspectu ponamus nomina eorum, qui praeter ceteros hoc poesis genus excoluisse traduntur a veteribus scriptoribus. sed cum ex iis, quae supra disputavimus, appareat, quam parum accuratam veteres grammatici ipsi scolorum poesis habuerint notitiam, non sufficit enumerare poetarum nomina a veteribus tradita, sed id opus esse videtur, ut diligenter inquiramus, quo iure et quibus causis permoti grammatici, quibus hac in re utimur testibus, hunc illumve poetam scolia composuisse contenderint. accedit quod magna in ea re laboramus testium paucitate, quam ob rem mirandum non est complures poetas melicos, qui sine dubio eius modi carmina composuerunt, in eorum numero, qui commemorantur a grammaticis, non reperiri; mihi vero de his etiam, quae ad rem faciunt, exponenda esse videbantur. contra si memineris veteres etiam versus elegiacos pro scoliis vendidisse, ut taceam de partibus selectis e tragoediis, quae num revera appellatae sint scolia, vel maxime dubitari potest, magno opere verendum est, ne iustos fines transgrediamur neve poetae cuilibet scolia imputemus. itaque liceat mihi paucis explicare, quo modo scolorum poesis historiam scribere in animum induxerim.

Scolorum poesim initio fuisse Aeolicam notum est. qua de re exposuimus eo loco, quo de scolorum origine et nomine disputavimus. neque minus notum est postea non solum Aeolicos,

verum etiam totius Graeciae poetas scoliis pangendis operam dedisse. itaque in scolorum poetis enumerandis recte nisi fallor ita agemus, ut primum de poetis Aeolicis dicamus. deinde in tractandis scolorum poetis Ionicis et Doricis nobis erit demonstrandum, qui factum sit, ut isti poetae leve illud carminum convivalium genus Aeolicum, quod primo aspectu fere pugnare videtur cum poesis Doricae gravitate, brevi tempore reciperent atque excolerent. denique omnibus poetis enumeratis facili negotio poterimus definire, quando poesis scolorum floruerit, et quomodo factum sit, ut paulatim scolorum memoria oblitteraretur ita, ut scolorum neque nomen neque vim ac naturam explicare possent Graeci. quo disputationis ordine constituto vix opus esse videtur, ut moneam me eos poetas, qui versibus elegiacis usi sunt, a scolorum poetarum numero secludendos esse censuisse. nam aptius illi ab eo tractabuntur, qui quaestionem de elegia symposiaca retractaturus est. itaque si Phocylidis, Theognidis, aliorum nomina hic non reperiuntur, de industria ea omissa esse scito.

De poetis Aeolicis.

I. Terpander.

Primus poeta Aeolicus Terpander Lesbii Antissae natus scolia invenisse fertur; cf. Plut. de mus. c. 28: *ἔτι δέ, καθάπερ Πίνδαρός φησι, καὶ τῶν σκολιῶν μελῶν Τέρπανδρος εὐρετής ἦν.* quo autem vixerit tempore Terpander, maxima inter viros doctos est dissensio. etenim alii Glaucō Rhegino assentiuntur, alii Hellanico. ac Glauci sententia exstat apud Plutarchum de mus. c. 4: *καὶ τοῖς χρόνοις δὲ σφόδρα παλαιός ἐστι (Τέρπανδρος). πρῆσβύτερον γοῦν Ἀρχιλόχου ἀποφαίνει Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας κτέ.* et c. 5: *μετὰ δὲ Τέρπανδρον καὶ Κλονᾶν Ἀρχιλόχος παραδίδεται γενέσθαι.* Glaucus igitur Terpantrum Archilochō natu maiorem fuisse tradit. sed contra Glaucum gravissimus testis est Hellanicus, qui ol. XXVI (676 a. Chr.) Terpantrum floruisse dicit; cf. Athen. XIV 635 E: *τὰ Κάρονεια πρῶτος πάν-*

των Τέρπανδρος νικᾶ, ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ ἐν τε τοῖς ἐμμέτροις Καρνεονίκαις κἂν τοῖς καταλογάδην. ἐγένετο δὲ ἡ θέσις τῶν Καρνείων κατὰ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ὡς Σωσίβιός φησιν ἐν τῷ περὶ χρόνων. Hellenicum igitur secuti sunt plerique viri docti. ac nuper Otto Loewe in libello, cui inscripsit 'De Terpandri Lesbii aetate commentatio' diss. inaug. Halis Sax. 1869, eandem sententiam argumentis undique petitis comprobare studuit. sed Glauci sententiam amplectendam esse luculentissime docuerunt R. Westphal 'Ueber Terpander und die früheste Entwicklung der griechischen Lyrik' (cf. 'Verhandlungen der 17. Versammlung deutscher Philologen' Vratislaviae 1858 p. 51—65) et 'Geschichte der alten Musik' p. 64 sqq., C. Fr. Hermann 'Antiquitat. Lacon. libelli IV' Marburg. 1841 p. 78 sqq., Deuticke 'Archilocho Pario quid in litteris Graecis sit tribuendum', diss. inaug. Halis Sax. 1877 p. 26. quibus adde Susemihlium 'Homeros und Terpandros' in Annal. philol. vol. CIX (1874) p. 649, Bernhardy I⁴ 358. quae cum ita sint, iam non fore quemquam puto, qui primis olympiadibus Terpandrum vixisse infitias eat. mihi autem haec quaestio paucis attingenda esse videbatur, quoniam permultum nostra interest, utri sententiae adstipulemur. etenim si Terpandrum, cuius poesim satis simplicem fuisse supra demonstravimus, ol. XXVI vixisse sumas, quo modo quaeso id possis explicare, quod paucis olympiadibus post, id est Alcaei et Sapphus temporibus (ol. XLII, cf. A. Schöne 'Untersuchungen über das Leben der Sappho' in Symbol. philol. Bonn. p. 744) poesis melica iam plane exulta est ac perfecta (cf. Bode l. c. II 2 p. 379)?

De poesi Terpandrea, cum alio loco iam sit expositum, hic commemorare sufficet inter exigua, quae nobis sunt servata, fragmenta nullum reperiri, quod ad scolia possit referri. neque id mirum. nam in terra Aeolica natus Terpander plurimam vitae partem transegit in Lacedaemoniorum civitate et praeter patria in primis Dorica composuit carmina Dorica usus dialecto.

2. Alcaeus.

De Alcaei scoliis haec exstant testimonia: Aristoteles Polit. III 9, 5: *ὅτι εἴλοντό ποτε Μιτυληναῖοι Πιττακὸν πρὸς τοὺς φυγάδας, ὧν προειστήκεσαν Ἀντιμενίδης καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητής. δηλοῖ δ' Ἀλκαῖος, ὅτι τύραννον εἴλοντο τὸν Πιττακὸν ἐν τινι τῶν σκολιῶν μελῶν· ἐπιτιμᾷ γὰρ ὅτι·*

τὸν κακοπάτριδα

*Πιττακὸν πόλεως τᾶς ἀχόλῳ καὶ βαρυδαίμονος
ἐστάσαντο τύραννον μέγ' ἐπαινεύοντες ἀολλέες.*

Athen. XV 694 A: *ὡς Ἀριστοφάνης παρίστησιν ἐν Δαιταλεῦσι λέγων οὕτως·*

ἄσπον δὴ μοι σκολιὸν τι λαβὼν Ἀλκαίου κ' Ἀνακρέοντος.

ad Aristophanis Vesp. v. 1234 sq., ubi Philocleo, qui sese alterum scolium cantaturum esse dicit, hoc profert:

*ᾧνθρωφ', οὗτος ὁ μαιόμενος τὸ μέγα κράτος,
ἀντρέψεις ἐτι τὰν πόλιν· ἃ δ' ἔχεται ῥοπαῶς.*

scholiasta adnotavit: *παρὰ τα Ἀλκαίου et ἐκ τῶν Ἀλκαίου³⁹⁾, quibus adde Eustathium 326, 36: ἀπὸ δὲ τοῦ ῥηθέντος Ἀδμήτου σκολιὸν τι ἐν Ἀθήναις ἦν ἀδόμενον, ὡς καὶ Πανσανίας φησὶν ἐν τῷ οἰκείῳ λεξικῷ λέγων ὡς οἱ μὲν Ἀλκαίου φασὶν αὐτό, οἱ δὲ Σαπφούς, οἱ δὲ Πραξιλλῆς τῆς Σικυωνίας.⁴⁰⁾ Bergk autem (PLG III³ 941 sqq.) XXII scolorum fragmenta collegit, sed quo iure versus ab Aristophane Vesp. 1234 sq. servatos a scoliis segregaverit carminibusque stasioticis inseruerit, nescio neque magis perspicio, cur versum a scholiasta Platonis p. 377 Bekker traditum: *οἶνος, ᾧ φίλε παι, καὶ ἀλάθεια* (cf. Athen. I 37 E) eroticis quam scoliis tribuere maluerit. Hartung (Gr. Lyr. VI 34 sqq.) XVIII Alcaei scolia attulit, sed a Bergkii dispositione hic illic discessit. velut versum a Tzetze ad Lycophronis v. 212 adscriptum: *οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δλοπτρον*, quem Bergk scoli exordium habuit, eroticis assignavit et fragmentum illud, quod Aristoteles*

³⁹⁾ cf. etiam schol. Thesmoph. v. 162.

⁴⁰⁾ cf. schol. Aristoph. Vesp. v. 1240.

l. c. e scolio quodam depromptum esse aperte dicit, inter stasiotica rettulit. sed haec propter ea tantum commemoravi, ut ostenderem, quam lubricum esset Alcaei fragmenta ad certa quaedam referre genera.⁴¹⁾ patet enim, cum omnia fere Alcaei carmina inter scyphos cantata sint, ita ea esse digerenda, ut aut, si ad argumenta spectas, carmina politica (*στασιωτικά*), potatoria (*παρολνία*), amatoria (*έρωτικά*) dignoscas, aut, si occasionem, qua oblata ea canebantur, respicis, ea omnia scolorum i. e. carminum convivalium nomine complectaris necesse sit. itaque Bergk et omnes ii contra rationem logicam peccaverunt, qui Alcaei carmina convivalia in stasiotica, scolia, erotica disperterunt. qui error natus est inde, quod illi opinabantur ea tantummodo carmina Alcaei inter scolia esse referenda, in quibus vini et epularum voluptatum mentio fieret — quod quam perversum sit, iam inde apparet, quod scolorum nomen ad carminis argumentum non pertinet, ut modo paucis diximus et supra accuratius exposuimus.

3. Sappho.

Sapphus Mytilenaeae, Alcaei aequalis, carmina a veteribus grammaticis ita disposita erant, ut novem complecterentur libros, quorum in unoquoque ea carmina una legebantur, quae iisdem composita erant metris, cf. Neue, Sapphonis Mytilenaeae fragmenta, Berolini 1827 p. 11 sqq. atque eandem dispositionem recentes quoque Sapphus fragmentorum editores secuti sunt. quod ad carminum argumenta attinet, Sappho confecit hymnos (cf. Menand. Rhet. de encom. I 2 sq., Philostr. Vit. Apoll. I 30, hymn. in Venerem, qui a Dionysio de comp. verb. c. 23 affertur), epithalamia (Dionys. de comp. verb. c. 25, Serv. Verg. Georg. I 31), *έρωτικά μέλη* (Paus. I 25, Athen. XIII 605 E, XIV 639 A;

⁴¹⁾ Quo modo Alcaei carmina a grammaticis Alexandrinis fuerint disposita, non sumus edocti, nisi quod decem minimum libros carmina Alcaei comprehendisse comperimus ex Athen. XI 481 A, et duplicem carminum Alcaicorum recensionem, alteram Aristophanis, alteram Aristarchi exstitisse Hephaestio p. 134 tradidit.

cf. etiam carmen pulcherrimum a grammatico illo, qui libellum de sublimitate composuit, sive Dionysius is fuit sive Longinus, servatum [c. 10]). Sapphus carmina quaedam in conviviis cantata esse tradunt Aelianus apud Stob. Flor. XXIX 58: *Σόλων ὁ Ἀθηναῖος Ἐξημεστίδου παρὰ πότον τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ μέλος τι Σαπφοῦς ἄσαντος ἤσθη τῷ μέλει καὶ προσέταξε τῷ μειρακίῳ διδάξαι αὐτόν· ἐρωτήσαντος δέ τινος διὰ ποίαν αἰτίαν τοῦτο ἐσπούδασεν, ὁ δὲ ἔφη· ἵνα μαθὼν αὐτὸ ἀποθάνω*, et Plut. Quaest. symp. VII 8, 2: *Σαπφοῦς ἀναδεχομένης καὶ τῶν Ἀνακρέοντος ἐγὼ μοι δοκῶ καταθέσθαι τὸ ποτήριον αἰδούμενος*. scolia autem re vera appellata esse Sapphus carmina convivalia colligitur inde, quod de Admeti scolio Pausanias in lexico tradidit dubitari, utrum ad Alcaeam vel Sappho an ad Praxillam referendum sit auctorem; cf. Eustath. 326. 36, schol. Arist. Vesp. v. 1240. falso igitur negavit Hartung l. c. VI 8 carmina convivalia potuisse condi a poetriis Aeolicis. quamquam concedendum est pleraque carmina a Sappho condita fuisse eius modi, ut a carminibus convivalibus quam maxime essent aliena, veluti epithalamia, hymenaei, alia, qua de re conferas etiam, quae p. 45 sq. disputavimus.

De poetis Ionicis.

I. Pythermus.

Poetarum Ionicorum, qui scolia composuerunt, duorum compta habemus nomina, Pythermi et Anacreontis. ac Pythermi poetae notitiam debemus Athenaeo XIV 625 C, qui haec tradidit: *φασὶ δὲ Πύθερμον τὸν Τήμιον ἐν τῷ γένει τῆς ἀρμονίας αὐτῷ τούτῳ (i. e. τῷ τῆς Ἰαστὶ ἀρμονίας γένει) ποιῆσαι σκαιὰ μέλη· καὶ διὰ τὸ εἶναι τὸν ποιητὴν Ἰωνικὸν Ἰαστὶ κληθῆναι τὴν ἀρμονίαν· οὗτός ἐστι Πύθερμος, οὗ μνημονεύει Ἀνάκτιος ἢ Ἰππῶναξ ἐν τοῖς λάμβοις οὕτως·*

χρυσὸν λέγει Πύθερμος, ὡς οὐδὲν τάλλα.

λέγει δ' οὕτως ὁ Πύθερμος·

οὐδὲν ἦν ἄρα τάλλα πλὴν ὁ χρυσός.

quo loco pro σκαιά iam Casaubonus scribi iussit σκολιά, quae lectio confirmatur a Diogeniano, qui Proverb. VI 94 hoc versu commemorato addidit: αὕτη ἀρχή ἐστὶ σκολιοῦ· ἀνατιθοῦσι (leg. ἀνατιθεῖσι) δὲ αὐτὸ Πυθέρωμον (leg. Πυθέρωμω). iam qua aetate vixerit Pythermus non sumus edocti, nisi quod ex Athenaei loco apparet eum ante Ananium et Hipponactem poetas, qui aequales fuisse videntur et circa ol. LX vixerunt (cf. de Hipponacte Plin. N. H. XXXVI 5, 42), floruisse; Pythermi enim in illorum carminibus nomen commemorabatur. itaque etiam ante Anacreontis popularis sui tempora (floruit enim Anacreon ol. LXII, cf. Daub 'Die Chronologie des Anaximenes und Anakreon' in Annal. philol. vol. CXXI [1880] p. 25 sq.) vixisse eum statuendum est.

Teos urbs, Pythermi Anacreontisque patria, sita erat in ora Lydiae, et sine dubio ex usu consuetudineque, quam habebat cum Lydis, convivalem didicit Pythermus colere Musam atque hac in re praecessit Anacreontem.

2. Anacreon.

Anacreontem ipsum scolia confecisse tradit Athen. XV 694 A, qui ex Aristophanis comoedia Δαιταλήs inscripta hunc affert versum:

ἄσον δὴ μοι σκολιὸν τι λαβὼν Ἄλκατον κ' Ἀνακρέοντος.

Bergk in Anacreontis carminum reliquiarum editione, quae prodiit Lipsiae a. 1834, postquam hunc locum attulit, ita disputavit p. 13: 'etsi inter epulas a convivis etiam alia carmina vel carminum partes cani solebant, Aristophanem tamen existimo cogitavisse de iis, quae proprie scolia appellabantur' et paulo post (p. 14): 'in reliquiis autem carminum Anacreontis nihil repperi, quod probabili aut certa coniectura ad hoc poesis genus referri possit'. sed hercle non video, quid sibi voluerit Bergk his verbis 'quae proprie scolia appellabantur', nisi forte eum Ilgenii amplexum esse sententiam statuendum est, qui putat carmina Anacreontis fuisse παροίνια, non σκολιά, quam sententiam nullis posse fulciri argumentis demonstravimus. adde quod

Critias poeta apud Athen. XIII 600 DE Anacreontem appellat *συμποσίῳν ἐρέθισμα* et addit:

*οὐποτέ σου φιλότης γηράσεται οὐδὲ θανεῖται,
ἔστ' ἂν ὕδαρ οἶνω συμμιγνόμενον κυλίκεσσιν
παῖς διαπομπεύη προπόσεις ἐπιδέξια νωμῶν κτέ.*

quibus versus aperte scolia a convivis cantata significavit.

3. Scolorum poetae Attici.

Ab Atheniensibus scolorum poesis valde adamari coepta est inde a Pythermi et Anacreontis⁴²⁾ temporibus. etenim ex scoliis ab Athenaeo nobis traditis duodecim fere aperte Athenis duxerunt originem (nam in aliis Minerva, Ceres, Pan, Apollo, Diana, dii deaeque Athenis in primis culti celebrantur, in aliis res quaedam ad Atheniensium historiam pertinentes tractantur, veluti tyrannicidium Harmodii et Aristogitonis proeliumque ad Lipsydrium commissum). haec autem scolia omnia eodem sunt composita metro, quod adhibuit primus Pythermus (cf. Athen. XIV 625 C).

Sed ex magno sane eorum numero, qui Athenis scolia, quae etiam Attica appellari solebant, confecerunt, duorum tantum nomina comperta habemus. ac Callistratus quidam scolium in Harmodium et Aristogitonem confecisse dicitur, cf. Hesych. s. v. *Ἀρμοδίου μέλος* τὸ ἐπὶ Ἀρμοδίῳ ποιηθὲν σκολιὸν ὑπὸ Καλλιστράτου οὕτως ἔλεγον. quo de scolio vide quae paulo ante accuratius disputavimus. alter autem, cuius quidem nomen nobis innotuit, scolorum poeta fuit Meletus, poeta tragicus et Socratis accusator, quem scolia scripsisse Aristophanes dicit Ran. v. 1301 sqq.:

*οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων
σκολιῶν Μελήτων, Καρικῶν ἀλύματων,
θρήνων, χορείων. τάχα δὲ δηλωθήσεται.*

⁴²⁾ Anacreontem posteriorem vitae suae partem Athenis degisse notissimum est.

ad quem locum scholiasta haec adnotavit: *προείρηται ὅτι τραγικὸς ποιητὴς ὁ Μέλητος. οὗτος δὲ ἐστὶν ὁ Σακράτην γραψάμενος. κωμῶδεται δὲ καὶ ὡς ψυχρὸς ἐν τῇ ποιήσει καὶ ὡς ποιητὸς τῶν τρόπων.* hoc igitur loco Meletus perstringitur ut frigidus in poesi, id quod in primis hilari poesi symposiacae minime convenisse facile intellegitur.

Quod si iam ea, quae de scolorum poetis Ionicis et Atticis modo diximus, breviter complecti licet, haec sunt: eodem modo, quo Aeoles, etiam Iones e Lydia asciverunt carmina convivalia auctore Pythermo Teio. deinde ab urbe Teo per Anacreontem scolia Athenas translata sunt, ubi mox apud populum tam gratiosa atque usitata esse coeperunt, ut Attica appellarentur.

Ilgen Archilochum Parium, qui primus ex poetis Ionicis usus est iambis, scolia etiam composuisse coniecit; cf. scolia XXXII, XXXIII, XXXVI—XXXVIII. cui sententiae iam dudum nonnulli viri docti adversati sunt, sed hanc solam ob causam, quod Archilochus Terpandro scolorum inventore natu maior fuit (cf. Bode l. c. II 2 p. 459). quod argumentum haud quicquam valet; nam Terpandrum ante Archilochum vixisse nunc fere inter omnes constat. at si reputaveris nullam omnino mentionem apud veteres fieri carminum convivalium ab Archilocho confectorum, neque in fragmentis servatis ullum hilaritatis symposiacae conspici vestigium, ne tu quidem puto Ilgenio adstipulabere.

De poetis Doricis.

I. Alcman.

Alcman in fragmento XXV B. puellam ita semet ipsum alloquentem facit:

*οὐκ εἰς ἀνὴρ ἀγροικὸς οὐδὲ
σκαιὸς οὐδὲ παρὰ σοφοῖσιν
οὐδὲ Θεσσαλὸς γένος
οὐδ' Ἐρυσιαῖος οὐδὲ ποιμήν,
ἀλλὰ Σαρδίων ἀπ' ἀκρῶν.*

quos versus respexerunt ii, qui contenderunt poetam ex Lydia fuisse oriundum, cf. Alexand. Aetol. in Anthol. Palat. VII 709. alii Laconem eum fuisse affirmant; cf. Heracl. Pont. frg. Pol. 2, Suid. s. v. *Ἀλκμάν*. de poetae patria dubitant Antipater Thessal. Anth. Palat. VII 18, Leonidas Tarentin. ib. VII 19. sed si respicimus ea, quae dicit Velleius Paterc. I 18: 'Alcmana Lacones falso sibi vindicant', et si eius poesim accuratius inspiciamus, nulla potest esse dubitatio, quin e Lydia Spartam venerit Alcman. porro si apud Suidam legimus patrem Alcmanis fuisse Lydum et apud Himerium or. V, 3: *Ἀλκμάλων δ'ὲ τὴν Δώριον λύραν Ἀυθίοις κεράσας ἄσμασιν* et apud Apollon. de pron. p. 396 *Ἀλκμάν συνεχῶς αἰολίζων*, intellegimus, quo modo fieri potuerit, ut iam antiquissimus poeta Doricus scolia conficeret. atque huic rei convenit, quod Archytas apud Athen. XIII 600 F et Suidas Alcmanem inventorem carminum amatoriorum appellant: *ἄν ἐρωτικὸς πάνυ εὐρετῆς γέγονε τῶν ἐρωτικῶν μελῶν*.

De Alcmanis aetate disputavit Theod. Niggemeyer 'De Alcmane poeta Laconico', dissert. phil. Monast. 1869 p. 1—13, qui floruisse poetam inde ab ol. XXVII vel XXX (c. 670 a. Chr.) statuit. sed conferenda sunt, quae contra Niggemeyerum protulit Susemihl in Annal. philol. vol. CIX (1874) p. 661.

Hartung l. c. V 141 sqq. decem Alcmanis fragmenta inter scolia rettulit. sed difficile profecto et lubricum est e paucis tantum verbis, quibus singula fragmenta constant, carminis naturam definire, praesertim in poeta Dorico, cuius carmina minimam tantum partem fuerunt convivalia ita, ut tutius esse videatur ea poetarum Doricorum carmina sola inter scolia referre, quae in conviviis cantata esse aut veterum testimoniis aut probabili aliqua coniectura confirmari potest.

Attamen scolia confecisse Alcmanem mihi certissimum est atque eodem modo, quo Terpandrum Aeolibus et Pythermum Ionibus, ita Alcmanem Doribus cantilenas illas convivales e Lydia attulisse.

2. Hybrias Cretensis.

Quamquam incerta est huius poetae aetas, tamen ex carmine ipso, quod Athenaeus XV 695 F nobis servavit (cf. Eustath. 1574, 7), quodam iure conicias eum septimo a. Chr. n. vixisse saeculo. huic enim aetati quam maxime convenit et sermo carminis et color et quae in eo commemorantur armorum servorumque condicio; cf. etiam M. Schmidt Philol. XIV p. 760 sq., Hoeck, Kreta III pp. 43 et 390⁴³).

3. Stesichorus.

Stesichori Himerae in Sicilia nati carmina ut scolia cantata esse tradidit scholiasta ad Arist. Vesp. v. 1222, ubi de scolorum recitandorum ratione agens haec dicit: *καὶ γὰρ ὁ ἐξ ἀρχῆς δάφνην ἢ μυρρίνην κατέχων ἤδε Σιμωνίδου ἢ Στησιχόρου μέλη.* cf. etiam Hesych. s. v. *τρία Στησιχόρου· ἔθος ἦν παρὰ πότον ἄδουσαι, ὡς καὶ τὰ Ὀμήρου.* adde schol. Arist. Nub. v. 179, ubi hic Eupolidis de Socrate affertur versus:

Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἐκλεψεν.

et schol. Arist. Nub. v. 96. sed abiudicat a Stesichoro scolia Welcker, 'Kleine Schriften' I p. 211.

4. Simonides Ceus.

Simonidem Julietam Ceum (oll. LVI—LXXVIII) praeter encomia, epinicia, hymnos, paeanes, dithyrambos, parthenia, hyporchemata, threnos (cf. Simonidis Cei carminum reliquiae ed. Schneidewin. Brunsvig. 1835 p. XLV) etiam scolia confecisse apparet non solum e schol. Arist. Vesp. v. 1222, ubi legimus Simonidis et Stesichori carmina ut scolia cantata esse, sed exstat etiam nunc scolium, quod a plerisque scriptoribus Simonidi tribuitur (8 B):

⁴³ Peculiari libello de hoc scolio egit A. G. Graefenhan (progr. gymn. Mulhusiani 1834), cuius libelli perlegendi copiam mihi non fuisse aegre fero.

ὕγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῶ,
 δεύτερον δὲ φῦαν καλὸν γενέσθαι,
 τὸ τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως,
 καὶ τὸ τέταρτον ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων.

ad quod scolium Athenaeus XV 694 E haec adnotavit: ἄσθεν-
 τος δὲ τούτου καὶ πάντων ἡσθέντων ἐπ' αὐτῶ καὶ μνημονου-
 σάντων ὅτι καὶ ὁ καλὸς Πλάτων αὐτοῦ μέμνηται ὡς ἄριστα
 εἰρημένου, ὁ Μυρτίλος ἔφη Ἀναξανδρίδην αὐτὸ διακεχλευακέναι
 τὸν κομφοδιοποῖον ἐν Θησαυρῶ λέγοντα οὕτως·

ὁ τὸ σκολιὸν εὐρῶν ἐκεῖνος, ὅστις ἦν,
 τὸ μὲν ὕγιαίνειν πρῶτον ὡς ἄριστον ἦν (ὄν Bergk)
 ὠνόμασεν ὀρθῶς· δεύτερον δ' εἶναι καλόν,
 τρίτον δὲ πλουτεῖν· τοῦθ', ὀρθῶς, ἐμαίνετο.
 μετὰ τὴν ὑγίειαν γὰρ τὸ πλουτεῖν διαφέρει,
 καλὸς δὲ πεινῶν ἐστὶν αἰσχρὸν θηρίον.

vides igitur Anaxandridem poetam comicum de carminis huius
 auctore certi quicquam non tradidisse. nec vero Plato, qui huius
 scolii mentionem facit Gorg. 451 E, Legg. I 631 C, II 661 A
 (cf. Euthydem. 279 A, Phileb. 48 D) ad Simonidem hoc carmen
 rettulit, sed his tantum usus est. verbis: ὁ ποιητὴς τοῦ σκολιοῦ
 vel ὁ τὸ σκολιὸν ποιήσας (Gorg. 452 A). sed scholiasta ad Gorg.
 451 E haec adnotavit: τὸ σκολιὸν τοῦτο οἱ μὲν Σιμωνίδου φασίν,
 οἱ δὲ Ἐπιχάρμου. similiter schol. ad Aristot. Rhetor. II 21 in
 Cram. Anecd. Paris. I 290: τὸ ἀνδρὶ δ' ὕγιαίνειν ἄριστον Σιμων-
 νίδου ἐστὶν ἀπὸ τῶν σκολιῶν αὐτοῦ ἐπῶν, οἱ δ' Ἐπιχάρμου.
 Simonidi tribuunt Clem. Alex. Strom. IV 375: ὁ μὲν οὖν Σιμων-
 νίδης καθάπερ καὶ Ἀριστοτέλης ὕγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ
 γράφει κτέ., Luc. schol. de laps. int. sal. c. 6: τὸ σκολιὸν τοῦτο
 Σιμωνίδης ἐποίησεν, Arsen. Violet. p. 456 W: Σιμωνίδου αὐτὰ
 αἱ παροιμιώδεις γινώμαι (cf. praeter ea Apost. XVII 48 d, Theodor.
 XI 153).

De Epicharmo auctore Bergk haec dicit: 'quod alii Epi-
 charmo tribuunt, fortasse inde repetendum, quod comicus hoc
 scolium commemoraverat videturque huc pertinere versus ab

Arist. Rhet. II 21 servatus *ἀνδρὶ δ' ὑγιαίνειν ἀριστόν ἐστιν, ὡς γ' ἡμῖν δοκεῖ* Dorica ille quidem dialecto orbatu (ubi Meineke Poet. com. III 169, qui et ipse Epicharmo tribuit, *ἐμν* scripsit). haec recte se habere confirmatur etiam alio loco, qui exstat apud Lucian. de laps. int. sal. c. 6:

ὁ *Φιλήμων* (novae, quam dicunt, comoediae poeta)

*αἰτῶ δ' ὑγείαν πρῶτον, εἴτ' εὐπραξίαν,
τρίτον δὲ χαίρειν, εἴτ' ὀφείλειν μηδεμί.*

nonne igitur Epicharmus similes panxisse versus potuit, qui ansam dederant, ut celeberrimum scolium ad ipsum referretur? atque eodem modo explicandum est, si Stobaeus Flor. CIII 9 idem scolium nomine *Σκληρίου* (vel ut Bergk vult *Σκίρου*) poetae comici addito attulit.

Quae cum ita sint, non dubitabimus hoc scolium Simonidi tribuere. accuratius autem quid de Simonidis scoliis statuere non licet propter fragmentorum paucitatem. sed vix a vero aberrabimus, si per coniecturam contenderimus Simonidem non solum e more Aeolum scolia paucorum versuum condidisse, sed etiam maiore arte et artificio usum esse in iis conficiendis ita, ut fortasse a Pindari scoliis haud ita multum differrent scolia Simonidis. aequales enim fere erant ambo poetae simulque Athenis versati sunt per longius temporis spatium; denique utriusque poesim haud ita fuisse dissimilem quis est qui nesciat?

5. Timocreon.

Acerbissime invectus est in Simonidis poesim Timocreon Rhodius, qui Themistoclis et Simonidis vixit temporibus; cf. epigr. Anth. Palat. XIII 31:

*Κῆρα με προσῆλθε φλυαρία οὐκ ἐθέλοντα,
οὐκ ἐθέλοντά με προσῆλθε Κῆρα φλυαρία.*

quibus versibus exagitavit Simonidis illud (Anth. Pal. XIII 30):

*Μοῦσά μοι Ἀλκμήνης καλλισφύρου νίδν ἄειδε·
νίδν Ἀλκμήνης ἄειδε Μοῦσά μοι καλλισφύρου.*

sed nec Simonidem pepercisse Timocreonti docet elogium illud

per cavillationem fictum (cf. Athen. X 415 F), quod Simonidem confecisse cognoscimus ex inscriptione in Anthol. Pal. VII 348:

Πολλὰ πῶν καὶ πολλὰ φαγῶν καὶ πολλὰ κάκ' εἰπῶν
ἀνθρώπους κείμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.

atque etiam cum Themistocle, cuius antea fuerat hospes, Timocreonti similitatem fuisse edocemur iis quae Plutarchus in vita Themistoclis rettulit c. 21 (cf. fr. 1—3 B.).

Hunc igitur Timocreontem scolia scripsisse tradidit scholiasta ad Aristoph. Acharn. v. 532: (Περικλῆς) ἐτίθει νόμους ὥσπερ σκολιὰ γεγραμμένους adnotans: Τιμοκρέων δὲ ὁ Ῥόδιος μελοποιὸς τοιοῦτον ἔγραψε σκολιὸν κατὰ τοῦ πλοῦτου, οὗ ἡ ἀρχή· ὄφειλες, ὦ τυφλὲ Πλοῦτε, | μῆτε γῆ μῆτ' ἐν θαλάττῃ | μῆτ' ἐν ἡπείρῳ φανῆναι, | ἀλλὰ Τάρταρόν τε ναίειν | κἀχέροντα· διὰ σὲ γάρ | πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά. τούτοις εἶκε καὶ τὰ ὑπὸ Περικλέους εἰσηγηθέντα, ἐπεὶ ὁ Περικλῆς γράφων τὸ ψήφισμα εἶπε Μεγαρέας μῆτε ἀγορᾶς μῆτε θαλάττης μῆτ' ἡπείρου μετέχειν. ἐπεὶ οὖν ὁμοία τοῖς Τιμοκρέοντος ἔγραψε, διὰ τοῦτο εἶπεν ὅτι ἐτίθει νόμους ὥσπερ σκολιὰ γεγραμμένους: cf. Suid. s. v. σκολιὸν et Isidor. Pelus. Ep. II 146.

6. Praxilla.

Praxilla Sicyonia floruit secundum Euseb. ol. LXXXII (450 a. Chr. n.). scolia eius celeberrima fuisse tradit Athen. XV 694 A: καὶ Πράξιλλα δ' ἡ Σικωνία ἐθανμάζετο ἐπὶ τῇ τῶν σκολιῶν ποιήσει, cf. schol. Aristoph. Vesp. v. 1240, Thesmoph. v. 529, Eustath. 326, 46.⁴⁴⁾

(Clitagora?)

Scolii cuiusdam exordium commemoratur ab Aristophane Vesp. v. 1243:

Χρήματα καὶ βίον (codd. βλαν)
Κλειταγόρα τε κάμολ μετὰ Θεταλῶν —

⁴⁴⁾ De Praxillae poesi disputavit in primis Neue 'De Praxillae Sicyoniae reliquiis commentatio' progr. univers. Dorpatensis 1844.

qui versus in scholiis his illustrantur verbis: *Κλειταγόρας μέλος λέγουσι τὸ εἰς αὐτὴν Κλειταγόραν, ἣτις ἐγένετο ποιήτρια Θεσσαλή τις γυνή . . . ἐκ σκολιοῦ τινός ἐστιν.* adde schol. Vesp. v. 1239: *Ἡρόδικος δὲ ἐν τοῖς κωμωδομένοις καὶ τὸν Ἄδμητον ἀναγέγραφε παραθεῖς τὰ τοῦ Κρατίνου ἐκ Χειρώνων·*

Κλειταγόρας ᾄδειν, ὅταν Ἄδμήτου μέλος ἀλλῆ.

Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Χαίριδος, ὡς Ἀρτεμίδωρος φησι, περὶ μὲν τῆς Κλειταγόρας τῆς ποιητρίας, ὅτι ὡς ἀνδρῶνυμον ἀναγέγραφε Κλειταγόραν, Ἀμμώνιος ἀπελέγχει αὐτόν, περὶ δὲ τοῦ Ἄδμήτου παρεῖχεν. (re vera id nomen mulieris⁴⁵) fuisse apparet ex Aristoph. Nub. v. 684). schol. Lysistr. v. 1237: *ὁ δὲ νοῦς ὅτι τὰ ἐναντία λέγομεν ἑαυτοῖς καὶ πράττομεν. ὅταν γὰρ τις ᾄσῃ ἀπὸ τῶν σκολίων Πινδάρου, λέγομεν ὅτι δεῖ μᾶλλον ᾄδειν ἀπὸ Κλειταγόρας τῆς ποιητρίας· ἢ γὰρ Κλειταγόρα ποιήτρια ἦν Λακωνική, ἣς μέμνηται καὶ ἐν Λαναΐσιν Ἀριστοφάνης.* Hesych. s. v. *Κλειταγόρα· φθῆς τι εἶδος καὶ (ποιήτρια) Λεσβία τὸ γένος.* cf. Suidam s. v. *Κλειταγόρα.*

E scholio ad Aristophanis Lysistratam videtur apparere Clitagoram poetriam Doricam scolia composuisse, sed si Aristophanis locum ipsum inspiciamus

ὥστ' εἰ μὲν γέ τις

ἄδοι Τελαμῶνος, Κλειταγόρας ᾄδειν δέον,

videmus non poetriae ipsius nomen commemorari, sed mulieris cuiusdam, de qua hoc scolio agitur. ac simili plane modo dicitur *Ἄδμήτου, Τελαμῶνος, Ἀρμοδίου σκολίων.* licet igitur concedatur scolium illud scriptum esse in Clitagoram, tamen non ausim contendere Clitagoram ipsam, quae Laconica vel Lesbia vel Thessala vocatur, scolia composuisse, cum non habeamus, quibus ea res comprobetur, testes idoneos.

7. Bacchylides.

Bacchylidem Iulietam Ceum, Simonidis sororis filium, scolia pepigisse diserto quodam veterum non confirmatur testimonio.

⁴⁵) In Antholog. Pal. VII 657 v. 3 dubitari potest, utrum *Κλειταγόρα* de viro an de femina dictum sit.

rettulit quidem Hartung l. c. VI 241 sqq. quattuor eius fragmenta inter scolia, atque idem fere statuisse videtur Bergk, qui ea eroticis tribuit, sed ad fr. 27 haec adnotavit: 'rettuli inter erotica, Neue [Bacchydis Cei fragmenta. Berol. 1823] scolium sive paroenum carmen esse putat, at haec arta necessitudine coniuncta sunt.'

8. Pindarus.

Clarissimum poetam lyricum Pindarum Thebanum scoliis componendis operam dedisse veteres auctores tradunt hi: Athen. XIII 573 F: Πίνδαρος τε τὸ μὲν πρῶτον ἔγραψεν εἰς αὐτὸν ἐγκώμιον . . . ὕστερον δὲ καὶ σκολιὸν τὸ παρὰ τὴν θυσίαν ἄσθεν, id. XIV 635 B: διόπερ καὶ Πίνδαρον εἰρηκέναι ἐν τῷ πρὸς Ἰέρωνα σκολιῷ κτέ., id. X 427 D: διόπερ καὶ τὰ σκολιὰ καλούμενά μέλη τῶν ἀρχαίων ποιητῶν πλήρη ἐστί. λέγω δ', οἷον καὶ Πίνδαρος πεποίηκε κτέ., schol. Arist. Lysistr. v. 1237: ὅταν γάρ τις ἄσῃ ἀπὸ τῶν σκολιῶν Πινδάρου, Suid, s. v. Ἀθηναίας, ubi legitur καὶ Πίνδαρος ἐν σχολῇ, quod recte iam dudum a viris doctis mutatum est in: ἐν σκολιοῖς. praeter ea scolorum Pindari mentio fit apud Suid. s. v. Πίνδαρος, ubi poetae carmina sic digeruntur: ἔγραψεν ἐν βιβλίοις ιζ' Ἀσφιδι διαλέκτῳ ταῦτα Ὀλυμπιονίκας, Πυθιονίκας [Νεμεονίκας, Ἴσθμιονίκας], προσόδια, παρθένια, ἐνθρονισμούς, βακχικά, δαφνηφορικά, παιᾶνας, ὑπορχήματα, ὕμνους, διθυράμβους, σκολιὰ, ἐγκώμια, θρήνους, δράματα τραγικά (ιζ'), ἐπιγράμματα ἐπικὰ καὶ καταλογάδην παραινέσεις τοῖς Ἑλλησι καὶ ἄλλα πλεῖστα. in Vratislaviensi autem Pindari codice vita poetae legitur, in qua haec tantummodo eius opera enumerantur: γέγραφε δὲ βιβλία ἑπτακαίδεκα ὕμνους, παιᾶνας, διθυράμβων β', προσοδίων β', παρθενίων β', φέρεται δὲ καὶ γ', δ' ἐπιγράφεται κηρωρισμένων παρθενίων (ex Boeckhii coniectura; codex habet φέρεται δὲ καὶ παρθενίων β' καὶ γ', δ' ἐπιγράφει κηρωρισμένων παρθενίων), ὑπορχημάτων β', ἐγκώμια, θρήνους, ἐπινίκων δ'. atque eadem habet Eustath. vit. Pind. 34. in codice Vindobonensi histor. Gr. nr. CXXX

(olim 174), in quo teste Mommsenio⁴⁶⁾ eadem vita Thomae magistri nomine inscripta legitur, verbis illis addita sunt haec: ἀπὸ δὲ τῶν ἐξ βιβλίων εἰσὶ καὶ τὰ λεγόμενα προσόδια καὶ παρθένια; πᾶνα (παιᾶνες), ὕμνον (ὕμνοι), διθύραμβικά (διθύραμβοι), σκολιὰ καὶ ἄλλα. quae verba librarium Suida usum addidisse Bergk coniecit (PLG I⁴ 368 n. 3). at ego suspicor librarium, si Suidae verba inspexisset, longe alia carminum genera commemoraturum fuisse; nam ea quae ascripsit librarius genera in hac ipsa vita leguntur scoliis exceptis, quam ob rem haec verba ei ipsi, utpote homini stupido, qui neque Suidam neque alium quemquam curabat, tribuenda esse videntur.

Quod si verba Suidae cum vita, quae est in codice Vratislaviensi, comparamus, videmus septemdecim carminum libros utroque loco commemorari, sed ita, ut, cum apud Suidam tredecim diversa afferantur carminum genera, altero loco novem tantummodo commemorentur. id quod facili negotio explicatur ita, ut statuamus duplicem fuisse carminum Pindaricorum recensionem, quarum condicionem in universum recte intellexisse mihi videtur Boeckh (Pind. II 2 p. 556), qui hoc modo in utraque recensione genera sibi respondisse statuit:

1. ὕμνοι	ὕμνοι
2. παιᾶνες	παιᾶνες
3. διθύραμβων α'	διθύραμβοι
4. " β'	βακχικά (δράματα Bergk)
5. προσόδιων α'	προσόδια
6. " β'	ἐνθρονισμοί (βακχικά B)
7. παρθενίων α'	παρθένια
8. " β'	δαφνηφορικά
9. τὰ κεχωρισμένα τῶν παρθενίων	sparsa in ceteris generibus

⁴⁶⁾ Cf. 'Scholia Germani in Pindari Olympia e codice Caesareo Vindobonensi edidit, aliorum scholiorum specimina adiecit, epistularum criticarum triadem praemisit Tycho Mommsen' Kiliae 1861. codex ad academiam Hungaricam transmissus hoc tempore Vindobonae non exstat.

10. ὑπορχημάτων α'	ὑπορχήματα
11. " β'	δράματα (ἐνθρονισμοί B)
12. ἐγκώμια	ἐγκώμια et σκολιά
13. θρῆνοι	θρῆνοι
14—17. ἐπινίκων δ'	ἐπινίκων δ'.

haec satis sagaciter excogitata esse a Boeckhio, quis est qui neget? at restat unum, de quo paulo aliter sentio. etenim non recte fecisse videtur Boeckh, quod ἐγκώμια et σκολιά attulit coniuncta; nam scolia peculiari libro edita fuisse aperte intellegitur e Suidae loco. in altera autem recensione scolia distributa erant sine dubio ita, ut pars hymnorum, pars epiniciorum, pars encomiorum libris inserta esset, qua re explicatur, qui factum sit, ut scolia quasi neglecta esse viderentur in hac recensione. haec igitur si correxeris, altera quae est eius tabulae pars iam haec erit:

9. ὑπορχημάτων α'	9. ὑπορχήματα
10. " β'	10. δράματα
11. ἐγκώμια	11. ἐγκώμια
12. θρῆνοι	12. θρῆνοι
13—16. ἐπινίκων δ'	13—16. ἐπινίκων δ'
17. τὰ κεχωρισμένα τῶν παρθενίων sparsa in ceteris ge- neribus	sparsa in ceteris gen. 17. σκολιά.

Sed iam quaerendum nobis est, utra recensio prior sit habenda. ac Boeckh quidem putavit eum ordinem antiquiorem esse, qui pauciora genera complecteretur, cum postea maiore in carminum generibus distinguendis opera posita in plura genera poemata Pindarica distributa essent: et alterum quidem ordinem fluxisse ex Aristophanis, alterum ex Aristarchi recensione. eandem rem Schneidewin in praefat. ad Eustathii vitam Pindari (Gotting. 1837) tractat, qui in universum Boeckhio assentitur, sed in Aristarchi locum potius Callimachum esse substituendum suspicatur. a quibus dissentit Bergk, qui in PLG I⁴ 368 'eo ordine', inquit, 'quem Pindari biographi exhibent, quem ego quo-

que ad Aristophanem referendum esse censeo, veteres grammatici ad unum omnes utuntur: inde factum est, ut tituli, qui alterius ordinis peculiare sunt, nusquam in grammaticorum scriptis compareant: igitur consentaneum est alterum ordinem, quem recentiore existimat Boeckh, non esse ab Aristarcho institutum, sed eundem in usu fuisse, antequam Aristophanes novum in modum digesserit carmina Pindarica: neque tamen ad Callimachum auctorem est referendus, verum is, cum ita digesta repperisset poetæ carmina, etiam rettulit in suas tabulas: atque ex hoc *πινάκων* opere indicem Pindaricorum carminum descripsit is, quem Suidas sequitur. priorem autem recensionem hominum Atticorum studio confectam esse putat Bergk, cum Pindari carmina iam vulgo vilescerent. in hac igitur recensione Attica comparebant *ἐνθροονισμοί, δαφνηφορικά, βακχικά, σκολιά*, in Alexandrinorum recensione ea non amplius videmus esse commemorata, cum aliis carminum generibus essent inserta. attamen, dicat aliquis, licet concedatur nusquam enthronismorum, daphnephoricorum, bacchicorum mentionem fieri ita, ut versus ex iis deprompti afferantur, quid statuendum est de scoliis, quorum haud pauca fragmenta nobis servata sunt ab Athenæo, qui tribus locis ea aperte scolia appellat? neque vero hanc rem silentio praetermisit Bergk, qui recte mihi animadvertisse videtur Athenæum, ubi Pindari scolia affert, antiquiores auctores exscripsisse. sed qui accuratius de hac re edoceri volunt, ipsum Bergkii adeant librum; ego satis habeo Bergkio assentiri, qui, si quid sentio, iam olim scripsit verissime in Philol. XIV p. 184 (Philologische Thesen 62): 'Die Skolien Pindar's bilden in den Ausgaben der alexandrinischen Grammatiker keine selbstständige Classe, wol aber in den älteren *ἐκδόσεις* des Lyrikers'.

Age nunc inspiciamus quae ad aetatem pervenerunt nostram Pindari scolorum fragmenta satis exigua. unum enim integrius nobis servatum est scolium Xenophonti Corinthio scriptum, cf. Athen. XIII 573 F: *Πίνδαρός τε τὸ μὲν πρῶτον ἔγραψεν εἰς αὐτὸν (Ξενοφῶντα) ἐγκώμιον (Olympion. XIII) . . . ὕστερον δὲ καὶ σκολιὸν τὸ παρὰ τὴν θυσίαν ἀσθέν, ἐν ᾧ τὴν ἀρχὴν εὐθείας*

πεποιήται πρὸς τὰς ἑταίρας, αἱ παραγενομένου τοῦ Ξενοφάντος καὶ θύοντος τῇ Ἀφροδίτῃ συνέθυσαν κτέ. alterum carmen exstat apud Athen. XIII 601 D Theoxeno Tenedio scriptum, quod miro consensu Pindari editores omnes inter scolia rettulerunt, quamquam nullo loco hoc carmen aperte *σκολιόν* appellatur. haec enim dicit Athenaeus l. c.: *μνησθεὶς δὲ καὶ τοῦ Τενεδίου Θεοξένου ὁ Πίνδαρος, ὃς ἦν αὐτοῦ ἐρώμενος τί φησί;* sed ne nimium cunctando incertus videar haerere, ego quoque in illorum virorum doctorum discedo partes, praesertim cum nihil insit in hoc carmine, quod non apte in scolio inesse possit.

In utroque carmine, dico scolia Xenophonti Corinthio et Theoxeno Tenedio scripta, conspiciuntur metra dactylo-epitritica, qualia in Pindari epiniciis sescenties reperiuntur. itaque Dorica carminum natura iam e metro apparet. quid autem de singulis strophis sit statuendum, viri docti dissentiunt. etenim Boeckh in utroque carmine epodos posse agnosci putat et hanc ob rem contendit 'scolia Pindarica cantata esse per vices a singulis ad citharam, sed simul acta et saltata a choro cantori parente' (II 2 p. 607). contra Bergk (Acta societatis Graecae, Lips. 1836 I 189 sqq.) demonstrare studuit scolum Xenophonti scriptum monostrophice esse compositum promisitque se alio quaesitum esse loco, utrum omnino epodos habuerint scolia Pindari necne. nam maximi momenti est ea quaestio, num Pindarus ab usitata et pristina scolorum Aeolicorum forma tanto opere recesserit, ut compositione monostrophica derelicta carmina chorica constitueret. at non stetit promissis, quod sciam, Bergk, immo sententiam suam postea mutasse videtur: nam, cum l. c. sic disputavisset, ut non possemus non suspicari omnibus eum scoliis Pindari epodos abiudicare, in novissima Pindari editione prioris quidem scoli formam monostrophicam servavit, in altero autem carmine cum Boeckhio epodos statuit. Hartung denique (IV 229 sq.) omnia scolia fuisse monostrophica affirmat Boeckhiumque fabulatum esse de choro, dum scolia canerentur, saltante et tripudiante contendit. atque alterum quidem scolum Theoxeno scriptum facili negotio dividi posse in tres singulas strophas Hartung

demonstrasse mihi videtur, praesertim cum reputemus oporteat fragmentum tantum eius scolii exstare. quae cum ita sint, tutius esse videtur statuere strophis, antistrophis, epodis in Pindari scoliis locum non fuisse, quippe cum, si aliter iudicaremus, totum chorum ea carmina cantasse sumeremus necesse esset — id quod ne Boeckh quidem voluit⁴⁷⁾.

Quod si Schneider (Pindari fragmenta Argentor. 1776 pp. 7, 9, 10) scolium Hieroni scriptum nominari etiam *ὑπορχηματικόν* dicit, quae res, si vera esset, vel maxime faceret ad Boeckhii sententiam fulciendam, id mero Schneideri tribuendum est errori, qui non satis distinxit inter scolium, de quo Athenaeus XIV 635 B et D (cf. XII 512 D) tradit, et hyporchema eidem Hieroni scriptum, e quo pauci illi versus desumpti sunt, quos tradunt inter alios schol. Pind. Nem. VII 1, Pyth. II 127, fr. 105 B.

Quod ad carminum argumenta attinet, memorabilis est locus Athen. XIII 573 F, ubi e Chamaeleontis libro traditur Pindarum primum *ἐγκώμιον* (Olymp. XIII) misisse Xenophonti Corinthio, deinde *σκολίων τὸ παρὰ τὴν θυσίαν ἄσθέν*. iam quae differentia intercedat inter encomia (sive epinicia) et scolia, haud difficile est dictu. carmen enim Olympicum XIII choricum et cantatum est, cum victor introiret in urbem et pompa duceretur per nobiliora urbis loca (cf. Dissen Pind. II² 155). scolium autem inter sacrificium et epulas sacras canebatur, ut ipse Athenaeus tradit, neque eius argumentum in eo versatur, ut Xenophontis virtus laudibus efferatur, sed amoris epularumque voluptates in

⁴⁷⁾ Cf., quae Boeckh II 2 p. 611 dicit de scolio Xenophonti Corinthio scripto: 'nihil elegantius erat hoc, ut a singulis caneretur, statim prima verba, quibus poeta meretriculas alloquitur, si ab uno citharam pulsante cantata censebis, placebunt maxime. neque tamen sine saltatione carmen actum esse, ne de chorica metri ratione dicam, ipsa chori praesentia docet'. quod si ille chorum saltasse contendit uno tantum scolio ad citharam canente, satis mirum id esse videtur neque ullo veterum testimonio confirmari potest, quam ob rem aut totum chorum cantasse et saltasse statuendum est aut singulos convivas.

hoc et in ceteris Pindari scoliis laudantur. atque hac in re, si quid video, differentia quaedam conspicitur inter Pindari et Aeolum scolia, quibus, quae ad historiam, rem publicam, potum, amores pertinebant, vel ut breviter dicam, quaelibet res poterat tractari: apud Pindarum autem non tam late patebat argumentorum varietas. neque id mirum. nam qui longiora carmina condebat eo consilio, ut canerentur in conviviis, in quibus non amplius omnes convivae ex ordine paucos versus ex more antiquo ad lyrae sonum recitabant, sed maioris vel maximi ambitus carmen summa arte compositum cantabatur, is eam materiam tractandam sibi sumere debebat, quae ad ipsum illud convivium spectaret.

Ex iis igitur, quae modo disputavimus, apparet scolia Pindari fuisse carmina convivalia longiora monostrophica, quorum argumenta ad amoris et epularum in primis voluptates pertinebant.

Postquam Athenaeus viginti sex illa scolia, quae iam pluribus locis a nobis sunt commemorata, attulit, sic pergit XV 696 A: *τούτων λεχθέντων, ὁ Δημόκριτος ἔφη· ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ὑπὸ τοῦ πολυμαθεστάτου γραφὴν Ἀριστοτέλους εἰς Ἑρμείαν, τὸν Ἀταρνέα, οὐ παιᾶν ἐστίν, ὡς ὁ τὴν τῆς ἀσεβείας κατὰ τοῦ φιλοσόφου γραφὴν ἀπενεγκάμενος εἶπε Δημόφιλος, εἰς αἰδῶ τε παρασκευασθεῖς ὑπ' Εὐρυμέδοντος, ὡς ἀσεβοῦντος καὶ ἄδοντος ἐν τοῖς συσσιτοῖς ὁσημέραι εἰς τὸν Ἑρμείαν παιᾶνα. ὅτι δὲ παιᾶνος οὐδεμίαν ἔμφασιν παρέχει τὸ ἄσμα, ἀλλὰ τῶν σχολίων ἐν τι καὶ αὐτὸ εἰδός ἐστιν ἐξ αὐτῆς τῆς λέξεως φανερόν ὑμῖν ποιήσω.* quae verba iam sequitur carmen illud pulcherrimum, quo Hermiam celebravit Aristoteles. accuratius egit de hoc carmine Bodel. c. II 1 p. 63 sqq., qui id carmen scolium esse negat. neque ego carmen scolium appellaverim; nam Aristotelis temporibus, id quod modo ostendam, iam veterum scolorum memoria erat oblitterata.

Ab Athenaeo I 3 F, V 186 B Aristoteli, Speusippo, Xenocrati, Xenophani *συμποτικοὶ νόμοι* tribuuntur, quo nomine Walther

(Comm. de Graecae poesis melicae generibus p. 24) scolia significari putat. sed neque scolia neque alia carmina melica significare voluit Athenaeus; immo intellegendae sunt 'leges conviviorum moderandorum', id quod apparet ex Athen. XIII 585 B, ubi Gnathaenae νόμος συσσιτικός tribuitur, καθ' ὃν δεῖ τοὺς ἐρασιτὰς ὡς αὐτὴν καὶ τὴν θυγατέρα εἰσιέναι, κατὰ ζῆλον τῶν τὰ τοιαῦτα συνταξαμένων φιλοσόφων.

Ultimo loco paucis mihi dicendum esse videtur de scoliis, quae a Diogene Laertio tribuuntur septem illis sapientibus. sunt autem haec: Thaletis I 35: τῶν δὲ ἄδομένων εἶναι τάδε (φησὶ Λόβων ὁ Ἀργεῖος):

οὐ τι τὰ πολλὰ ἔπη φρονίμην ἀπεφήνατο δόξαν·
ἐν τι μάτευε σοφόν,
ἐν τι κεδνὸν αἰροῦ·
παύσεις γὰρ ἀνδρῶν κατίλων γλώσσας ἀπεραντολόγους.

Solonis I 61: τῶν δὲ ἄδομένων αὐτοῦ ἐστὶ τάδε·

πεφυλαγμένος ἀνδρα ἕκαστον ὄρα,
μὴ κρυπτὸν ἐχθὸς (codd. ἐγγὸς) ἔχων κραδίη,
φαιδρῶ (σε) προσενέπη προσώπῳ,
γλώσσα δὲ οἱ διχόμυθος·
ἐκ μελαίνης φρενὸς γεγωνῆ.

Chilonis I 71: τῶν δὲ ἄδομένων αὐτοῦ μάλιστα εὐδοκίμησεν ἐκεῖνο·

ἐν λιθίναις ἀκόναις ὁ χρυσὸς ἐξετάζεται
διδούς βάσανον φανεράν·
ἐν δὲ χρυσῶ
ἀνδρῶν ἀγαθῶν τε κακῶν τε νοῦς ἔδωκ' ἔλεγχον.

Pittaci I 78: τῶν δὲ ἄδομένων αὐτοῦ μάλιστα εὐδοκίμησε τάδε·

ἔχοντα δεῖ τόξον τε καὶ ἰοδόκον φαρέτραν
στείχειν ποτὶ φῶτα κακόν·
πιστὸν γὰρ οὐδὲν γλώσσα διὰ στόματος
λαλεῖ διχόμυθον ἔχουσα καρδίᾳ νόημα.

Biantis I 85: τῶν δὲ ἄδομένων αὐτοῦ εὐδοκίμησε τάδε·

*ἀστοῖσιν ἄρεσκε πᾶσιν, ἐν πόλει αἴκε μένης·
πλείσταν γὰρ ἔχει χάριν· αὐθάδης δὲ τρόπος
πολλάκι δὴ βλαβερὰν ἐξέλαμψεν ἄταν.*

Cleobuli I 91: *τῶν δὲ ἀδομένων εὐδοκίμησεν αὐτοῦ τάδε·
ἀμουσία τὸ πλεόν μέρος ἐν βροτοῖσιν
λόγων τε πλήθος· ἀλλ' ὁ καιρὸς ἀρκέσει.
φρόνει τι κεδνόν· μὴ μάταιος ἄχαρις γενέσθαι.*

eiusdem I 92: (cf. Stob. Flor. III 79)

*γυναικὶ μὴ μάχεσθαι, μηδὲ σωφρονίζειν
ἄλλοτρῶων παρεόντων·
τὸ μὲν γὰρ ἄνοια, τὸ δ' αὖ μανίαν δύναται ἔχειν.*

Post Casaubonum Schneidewin in Symbol. crit. poetic. lyric. p. 117 sq. haec carmina subditiua esse censuit et in Philol. I 20 sqq. ea ad normam peplos Aristotelii composita esse coniecit a Lobone Argivo, quem falsarium fuisse nuper luculenter demonstravit E. Hiller 'Die litterarische Thätigkeit der sieben Weisen' Mus. Rhen. XXXIII 518 sqq. contra Roszbach et Westphal Metr. II³ 669 nihil posse reperiri in compositione metrica censent, quod carmina non genuina esse redarguat. atque idem fere Bergk (PLG III³ 968) statuisset videtur: 'mihi Pittaci, Biantis, Chilonis, Thaletis cantilenae antiquitatis laude non fraudandae esse videntur, sed utrum ab iis, quorum nomine circumferebantur, an ab aliis conditae sint, id nemo poterit diiudicare'. iam vero neminem⁴⁸) puto hodie futurum esse, qui haec carmina a septem illis sapientibus condita esse contendat, cf. Otto Bernhardt 'Die sieben Weisen Griechenlands' progr. Sorav. 1864 p. 14. ac recte quadam certe ex parte de his carminibus statuit C. O. Mueller, Hist. litt. Gr. I³ 318 sqq. his usus verbis: 'Die sieben Weisen wollen wir nicht in diese Zahl (der Skolien-dichter) aufnehmen, denn wenn der Geschichtsschreiber der alten

⁴⁸) Bohren 'De septem sapientibus' diss. inaug. Bonnae 1867 de carminibus, quae illis tribuuntur, nihil omnino protulit; dicit quidem in fine libelli se de hac quoque re disputaturum esse, sed promisso suo usque adhuc, quod sciam, non stetit.

Philosophie, Diogenes Laertius, von Thales, Solon, Chilon, Pittakus und Bias vielgesungene Verse anführt, so müssen wir sehr an der Echtheit dieser Spruchlieder zweifeln. Sie sind nämlich alle in sprachlicher und metrischer Hinsicht wie über einen Leisten gearbeitet, so dass man unter den 7 Weisen eine Art von Verabredung annehmen müsste, in dieser Manier zu dichten und überdies in einer Art von Rhythmen, die erst im Zeitalter der Tragiker gebräuchlich wird. [quod minime verum est; nam iam Stesichorus persaepe talia metra adhibuit, cf. Westphal II² 667 sqq.] Jedoch ist zu glauben, dass sie in diesem Zeitalter wirklich als Skolien gedient haben, da sie in der heitern und ergötzlichen Art, wie ein Grundsatz des Lebens ausgesprochen wird, grosse Aehnlichkeit mit den Skolien in aeolischer Weise haben. Hiernach wird anzunehmen sein, dass diese Lieder zur Zeit der Tragiker aus überlieferten Sprüchen der älteren Weisen in die Form von Skolien gebracht worden sind^r.

Haec igitur Mueller, qui Lobonem ea carmina non composuisse recte intellexit, sed quae de metrica compositione disputavit quaeque de aetate, qua ea carmina orta sunt, exposuit ea reicienda esse apparet. multo rectius enim horum carminum originem ad saeculi quinti initium rettulit E. a Leutsch (Philol. XXX 134), cum omnia uno eodemque metro, Anacreonti maxime usitato, sint conscripta atque idem sit in omnibus sermo veterum Atticorum.

Porro si quaeras, utrum haec carmina conficta sint ex sententiis, quae vulgo septem illis sapientibus tribuebantur, an scolia antiqua diu iam populi ore celebrata, equidem alteri sententiae non dubito accedere. nihil enim in singulis est carminibus, quod ad certa quaedam septem sapientum praecepta referri possit (cf. Leutsch Philol. XXX 133 sq.).

Quae cum ita sint, iam quo modo factum sit, ut carmina illa septem sapientibus tribuerentur, inquirenti haec mihi nata est coniectura. postquam invaluit is mos in libris conscribendis, ut viri clari de aliqua re in conviviis inter se disputantes et philosophantes fingerentur, talia etiam septem sapientum con-

ficta sunt convivia. neque enim primus Plutarchus τῶν ἐπὶ σοφῶν συμπόσιον composuisse videtur, sed aliorum, qui ante eum similes conscripserant libellos, secutus exempla. facile igitur fieri potuit, ut nescio quis in tali convivio describendo, cum res ad potum venisset, septem sapientes etiam scolia cantantes fingeret atque ex plurimis quae exstabant scoliis dilecta ea singulis tribueret, quae cum moribus eorum quam maxime conspirare viderentur. praecepta autem scoliis illis contineri nemo mirabitur. nam et conveniebat id sapientibus illis et permulta eius modi composita erant scolia, quae quanti aestimata sint colligitur ex iis, quae Athenaeus XV 694 C dicit: καλὴν δὲ ταύτην ἐνόμιζον τὴν παραίνεσιν τέ τινα καὶ γνώμην ἔχειν δοκοῦσαν χρησίμην τε εἰς τὸν βίον.

Iam habes, quidquid de scolorum poetis a veteribus nobis traditum est. unde, si viam spectas ac rationem, qua scolorum poesis exulta sit atque amplificata, et aetatem, qua ea vigerit quaque paulatim imminuta sit atque antiquata, haec fere colliguntur:

I. Scolia a Terpandro Aeole ad imitationem carminum Lydiorum composita in Lesbum insulam ascita sunt.

II. Fortasse iam a Terpandro, certe non multo post ab Alcmane carmina illa Spartam advecta sunt, quo factum est, ut etiam Dores ea excolerent.

III. Pythermo auctore Iones scolia noverant, Anacreon Athenienses ea docuit.

IV. Scolia floruisse videntur usque ad belli Peloponnesiaci finem. nam inde ab hoc tempore, ut tota poesis lyrica esse desiit, ita etiam scolorum poetae nomen non amplius commemoratur.

Porro illis temporibus morem scolorum canendorum abolere coepisse cognoscitur ex Aristophanis Nub. v. 1357 sq., ubi Strepsiades de filio suo haec dicit:

ὁ δ' εὐθέως ἀρχαῖον εἶν' ἔφασκε τὸ καθαρίζειν
ἄδειν τε πίνουθ', ὥσπερ εἰ κάχρως γυναικ' ἀλοῦσαν.

atque iam in ea fabula, quam primam docuit Aristophanes, *Λαιαλῆς* dico, poeta adolescentem in scenam induxerat scolia canere recusantem. certe istis bellis homunculis griphi, aenigmata, anagnostae magis arridebant, quam vetera et simplicia scolia, quorum recitationem, si omnino ea canere libebat, ita variabant, ut Dicaearchus aliique tradiderunt.

Deinde Aristoxeni, Dicæarchi, Artemónis temporibus scolia non amplius in usu fuisse colligitur inde, quod illi doctas instituerunt de scolorum poesi quaestiones — id quod plerumque tum demum fieri solet, cum re, de qua agitur, iam obsoleta verendum est, ne prorsus oblivione obruatur vel certe oblitteretur eius rei memoria.

Plutarchi denique temporibus quid censuerint de scolorum poesi, apparet e Plut. Quaest. symp. I 1, 5: ἄδειν γὰρ ἴσως τὰ καλούμενα σκολιὰ κρατῆρος ἐν μέσῳ προκειμένου καὶ στεφάνων διανεμομένων, οὓς ὁ θεὸς (ὦς) ἐλευθερῶν ἡμᾶς ἐπιτίθησιν, οὐ καλὸν οὐδὲ συμποτικόν. A. Z.





APR 25 1895

MAY 8 1895

NOV 18 1895

OCT 16 1909

G 333
De scolorum poesi.
Widener Library

005351463



3 2044 085 075 745

